PRIMA DIOECESANA SYNODUS OPPIDENSIS

AB ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDIS. DOMINO

D. FR. JOSEPHO - MARIA PERRIMEZZI

Ordinis Minimorum S. FRANCISCI DE PAULA SS.D.N.BENEDICTI Papæ XIII.Prælato domestico, ac Pontificio solio Episcopo Assistente, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Sanctæ Oppidensis Ecclesiæ Episcopo

CELEBRATA

Anno MDCCXXVI. Die XVIII. XIX. & XX. Mensis Augusti.

NEAPOLI Typ. de Mosca. 1728.

SUPERIORUM PERMISSU.

SYNODI INDICTIO
FR. JOSEPH MARIA PERRIMEZZI,

Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, SS. D. N. BENEDICTI Papæ XIII. Prælatus domesticus, ac Pontificio Solio Episcopus Assistens, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia, hujus S. Oppidensis Ecclesiæ Episcopus.

UNIVERSO OPPIDEN. CIVITATIS, ET DIOECESIS Clero, Salutem in eo, qui est vera salus.

UT primum ad hujus sanctæ Oppidensis Ecclesiæ famulatum Dominus noster Jesus Christus, per infinitam ejus misericordiam, humilitatem nostram, imparibus sane meritis, ac viribus, deputavit, illud animum nostrum pulsavit impensius, quo sacrosanctam Synodum, quam, per viginti & septem annorum spatium, coactam nõ fuisse sciebamus, in hac nostra Civitate, & Diœcesi, celebraremus. At, quum multiplici negociorum varietate, immo & plurimorum discriminum agitatione, distracti, nõ sine maximo cordis nostri dolore, eam usque modo differre coacti fuerimus; tandem in præsens, Præsulatus nostri decimotertio anno ineunte, eam indicere, & convocare, ut animarum nobis commissarum saluti, ita & pastoralis Officii nostri debito, aptum, congruumque, judicamus. Hæc nihilominus inter tempora non omisimus, frequentibus Edictis, divini cultus augmentum, morumque honestatem, in nobis concredito Grege, quantum ex alto concessit Deus, vel inducere, vel promovere. Verũ, quum temporanea fuisse hujuscemodi remedia, non admodum duratura, cognoverimus; ut quæ a nobis, secundum Deũ, & pro Deo, ad Ecclesiarum ornamentum, ad Cleri disci-

plinam, & ad Plebis reformationem, præscribenda visa sunt, aut etiam videbuntur, in œvum durent, eadem in Diœcesana Synodo referre oportet, eâque ordinante, publicare. Hanc ergo primam nostram Diœcesanam Synodum, hoc decimotertio Præsulatus nostri anno ineunte, per præsentes convocatorias literas indicimus, & intimamus omnibus, & singulis, Dilecto nobis in Christo Capitulo, Dignitatibus, & Canonicis nostræ Cathedralis Ecclesiæ, Canonicis Collegiorum aliarum Ecclesiarum, Parochis, Mansionariis, OEconomis, cæterarumque Ecclesiarum nostræ Civitatis, & Diœcesis, Abbatibus, Rectoribus, Cappellanis, Presbyteris, Beneficiatis, Clericis, Gubernatoribus piorum locorum, & aliis, qui ad hujusmodi celebrationem, tam de jure, quam de consuetudine, interesse, & convenire, teneantur: Ipsisque, & eorum singulis, in virtute S. Obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut in nostra Cathedrali Ecclesia, sub die decima octava Augusti, quæ est Dominica X. post Pentecosten, currentis anni 1726., aliisque duabus sequentibus diebus, conveniant; sub pœnis arbitrio nostro infligendis iis, qui sine legitima caussa in Synodo per speciales Procuratores probanda, accedere, & interesse, non curaverint, vel ab ea præsumpserint discedere, ante ejusdem Synodi dimissionem, & absolutionem. Alacriter ergo veniant omnes, in habitu, & tonsura, incedentes; nobiscum oraturi Dominum nostrum Jesum Christum, ut pacem det Mundo, quam Mundus dare non potest; ut exaltationem sanctæ, & catholicæ Ecclesiæ præstet, contra quam portæ inferi non prævaleant; ut nobis tandem spiritum devotionis infundat, quo videamus, quæ agenda sunt, & eadem agere contendamus. Denique plenariam Indulgentiam, quam apostolica largitas pro hac prima nostra Diœcesana Synodo, iis omnibus, qui post peccatorum suorum confessionem, Sanctissimum Christi Corpus in hac nostra Cathedrali

Ec-

Ecclesia receperint, benigne concessit, per præsentes quoque literas nostras, omnibus notam facimus. Volumus autem, aut hæc Synodi indictio, affixa Cathedralis, & Parochialium Ecclesiarum Valvis, perinde afficiat omnes, & singulos, interesse debentes, ac si fuisset singulis personaliter intimata. Datum ex nostro Episcopio die decima Junii anni 1726. Pontificatus SS.D.N.Benedicti Papæ XIII. anno tertio. Præsulatus nostri anno XIII. Consecrationis vero nostræ anno XX.

F. JOSEPH-MARIA
Episcopus Oppiden:

D. Dominicus Barba Secretarius.

ALLOQUUTIO

Ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino, In Synodi aperitione, Habita.

S*Acrosanctam Diœcesanā Synodum, quā inter præcipua postoralis sollicitudinis munia, non infimum occupare locum, sciebatis,* Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, *aut ægro tulistis animo, aut attonito, ut minimum, spectastis supercilio, usque adeo nos protalasse. Et non immerito quidem, quum conscios vos baleamus, & bonorum omnium, quæ omni tempore ex frequenti Synodorum celebratione nascuntur, & malorum etiam, quæ ex diutina earundem intermissione promanant. Quod sane cordatos Viros mœrore, cæteros autem admiratione saltem affecisse, non ambiginus.*

Nos vero, & de vestro mœrore gaudemus & de vestra admiratione exultamus; arbitrantes mœrorem vestrum, piæ sanctæque affectionis, qua vestra calescunt præcordia, argumentum esse; admirationemque optimæ opinionis signum, quam de nostra vigilantia, nostraque dilectione, fovetis. Hinc ultra muneris partes quibus arctissime obstringimur, mœrorem vestrum, vestramque commirationem, animo nostro faces etiam adjecisse, sciatis, ut Sanctum hoc opus aggrederemur, inceptumque, Deo adjuvante, perficeremus. Ad hæc accedunt, quæ experimento quoque vestro didicistis, multa rerum discrimina, quibus, per duodecim citra annos, jactati sumus, quamvis, Dei opitulante misericordia, non sumus consumpti. Incongruum certe videbatur tunc temporis remedium adhibere, quod ipsomet morbo infestius eventurum, timebamus. Ad meliorem proinde diem distulimus medelam, qua corpora, non occidi, sed vivificari, oportebat; quemadmodum opportunius expectavimus tempus, quo, nobis restituta pace, omnia, mutua in Deo Charitate, perageremus.

En res ergo in promptu est. Diœcesanam Synodum, quam plurimis ab hinc diebus, per convocatorias literas nostras, vobis cunctis indiximus, nunc, stato die, celebramus; ac uno eodemque tempore Officium nostrum, vestrumque desiderium, nitimur, quantum ex

alto

alto concesserit Dominus, adimplere. Hoc nihilominus dicendum superest, Dilectissimi in Jesu omnes, *ut quæcunque pro salute animarum vestrarum nobis visa sunt decernenda, non solum prompto paratoque animo accipiatis, verum quoque fideli sinceroque opere exequamini. Hic Synodorum præcipuus est finis; huc tota pastoralis cura collimat; ad hoc labores omnes dirigimus: Animarum scilicet, quas proprio sanguine redemit Deus, vel in bonum, vel in melius, conversionem omni ex parte procurare; ita ut ab omnibus glorificetur Dominus, qui solus est Spes nostra, & Salus nostra.*

Satagite ergo, in Domino Carissimi, *per bona opera vestra, ac per juges precationes vestras, Deum propitium nobis reddere, qui spiritum nobis tribuat præcipiendi, quæ secundum ejus sint beneplacitum, vobis autem gratiam eadem exequendi impertiatur. Satagite, per fidelem observantiam, exactamque obedientiam vestram, ne frustrentur labores nostri, ac ne vanum futileque reddatur studium nostrum, quod pro animarum vestrarum bono, quaque in re, vobis nitimur comprobare. Satagite denique, per sanctæ intentionis rectitudinem, piæque conversationis ædificationem, hisce præcipue diebus, quibus synodalis actio habetur, ut ad Deum omnia, tanquam ad finem ultimum, ordinentur, quæ ab eodem cognoscitis, a primo tanquam principio, provenire.*

SESSIO I.

POstquam integrè ea gesta sunt, quæ in Romano Pontificali, circa Synodi inchoationem præscribuntur, Oratione etiam ab Illmo, & Revmo Domino Episcopo habita ad Populum in Synodi aperitione, ad primæ hujusce Sessionis Decreta publicanda deventum est, die decima-octava Augusti anni 1726. in Cathedrali Ecclesia Oppiden: prout in præcedenti Indictione dictum fuerat.

DECRETUM
De Synodo Incepta.
In Nomine Ss. ac Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

NOS Fr. Joseph-Maria Perrimezzi, Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, Ss. D. N. Benedicti XIII. Prælatus domesticus, ac Pontificio Solio Episcopus assistens, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia hujus S. Oppidensis Ecclesiæ Episcopus.

Ad Dei Omnipotentis gloriam, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, ab Angelo salutatæ, hujus Civitatis, & Diæcesis Patronæ principalis honorem, & ad laudem Ss. Petri, & Pauli, Apostolorum Principum, Sanctorumque Francisci de Paula, & Philippi Nerii Protectorum, nostram hanc primam Synodum Diæcesanam incipimus. Spiritus Sancti gratia illuminet sensus, & corda nostra, ut quæ agenda sunt, videamus, & quæ viderimus, Deo protegente, adimpleamus.

CAPUT I.
De præjudicio non inferendo.

DEcernimus, nemini hac in Synodo, sive in sedendo, sive in incedendo, sive in aliud quidpiam agendo, novum jus acquiri, nec quicquam de cujusque jure, vel possessione detrahi. Omnia autem in eo, permaneant statu, in quo ante Synodum hanc, reperiebantur.

CAPUT II.
De modo vivendi in Synodo.

VIta Clericorum est Laicorum conversationis exemplar; ideo Clerus noster hic præsens, quum semper, maximè hoc tempore, tum verbo, tum opere, omni virtutum splendore Laicis cunctis præfulgeat. Ut hoc ipsum Clerici nostri exequantur, prout eos peramanter monemus, & per Viscera misericordiæ Dei nostri obsecramus, Tabellam Synodalis disciplinæ in Sacrario proponimus, quam quilibet de Clero legere satagat, & diligenter observare non omittat.

CAPUT III.
De non discedendo.

QUicumque ad hanc nostram Synodum convenerunt, sive juris, sive consuetudinis vinculo adstricti, sub excommunicationis pæna ab hac Civitate, nisi

eadem Synodo legitimè dimissa, & expleta, discedere non præsumant. Iidemque omnes singulis sessionibus, & actionibus, & conventibus indictis, & indicendis, sub eadem pœna, intersint omninò; nisi, justis ex caussis, discedendi, vel non interveniendi dispensationem à nobis legitimè obtinuerint.

C A P U T IV.
De publica Oratione.

QUod vetustissimi est instituti, in quocumque Synodali Conventu, pro publicis rebus Orationem fieri, hac nostra in Diœcesana Synodo observandum quam maximè jubemus. His ergo præcipuè diebus in omni prece cuncti, & Sacerdotes præsertim, in Missæ Sacrificio orent pro Sanctissimo Domino nostro Benedicto XIII. pro Augustissimo Imperatore nostro Carolo VI. necnon pro ipsius Cleri, ac totius Populi Spiritus fervore, & in Christiana vita perfectione.

C A P U T V.
De deferendis querelis, & absentium excusationibus recipiendis.

VIcarius noster Generalis querelas, si quæ fuerint, juxta Sacrorum Canonum instituta, recipiet; & ipsemet Vicarius absentium excusationes audiet, admittetque, si admittendas esse, Synodus ipsa judicaverit, nobis autem reservamus hujusmodi caussas ad nos, durante etiam Synodo, avocare, aliisque ad nostrum beneplacitum, committere.

C A P U T VI.
De Officialibus Synodi.

TAndem hos Synodi Officiales statuimus, & declaramus, ut quæ in ipsa à nobis agenda sunt, recto ordine peragantur: videlicèt sunt.

R. D. Laurentius Amodeo, Canonicus Pœnitentiarius, Synodi Promotor.
R. D. Antoninus Basile, Canonicus, Synodi Secretarius.
R. D. Franciscus Amodeo, Canonicus, Cæremoniarum Magister.
R. D. Franciscus Germanò, Canonicus, Synodi Notarius.
R. D. Joseph Mazzapica, Collegiatę Terręnovæ Archipresb. Procurator Cleri.

INSTANTIÆ PROMOTORIS SYNODI.

I N S T A N T I A I.
Pro lectione Decretorum Tridentini de Fidei professione, & residentia.

Illustrissime, & Rme Pater, & Domine.

SAcrosancti Tridentini Concilii Decreto, cautum est, ut omnes, Ecclesiastica Beneficia obtinentes, quum primùm Synodo interfuerint, teneantur Fidei professionem emittere, & quod in eàdem decreta de residentia perlegantur; iccircò ego Laurentius Amodeo, Oppidensis Ecclesiæ Canonicus Pœnitentiarius, & pręsentis Synodi Promotor, reverenter postulo, ut ipsa publicentur.

Illustrissimus Episcopus respondit; *Publicentur.*

Quibus lectis per Synodi Secretarium, emissa primum fuit dicta professio, sub breviori forma, ab Illustrissimo Domino, his verbis.

Ego Frater Joseph-Maria Perrimezzi, Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, Epi-

Episcopus Oppidensis promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo, & juro juxta professionis Fidei formulam, ex Bulla fel. record. Pii Papæ IV. Singula singulis referendo;sic me Deus adjuvet,& hæc Sancta Dei Evãgelia.

Deinde sub forma, a Pio IV. prescripta, omnes, qui tenebantur, Secretario è Suggestu alta voce recitante, & cæteris repetentibus, eandem fidei professionem emiserunt; ac iidem juramentum præstiterunt in manibus Domini Episcopi, tactis Sacrosanctis Evangeliis, verbis hisce: Ego idem N. N. spondeo, voveo, ac juro; sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

INSTANTIA II.

Pro electione Examinatorum, Judicum, ac Testium Synodalium.

Illustrissime, & Reverendissime Pater, & Domine.

MAndatum ab eodem Sacrosancto Tridentino Concilio, & a Bonifacio Papa VIII. habemus, ut in diæcesana Synodo ab Episcopo sex saltem Examinatores nominentur, quorum tres minimùm cum ipso, vel ejus Vicario, ad Parochiales Ecclesias promovendorum examini destinentur. Insuper ut aliqui in Dignitate, Canonicatu, vel Personatu, constituti eligantur, quibus caussæ, ad forum Ecclesiasticum spectantes, præter locorum Ordinarios, a Sede Apostolica, aut Legatis, committi possint. Necnon juxta Canonum statuta, in Testes Synodales aliqui probati Viri eligantur. Propterea ego idem qui supra, hujus Synodi Promotor, à Dominatione tua Illustrissima, hos omnes proponi, humillimè rogo.

Post hanc instantiam,de mandato Illmi Domini, Secretarius Synodi legit sequens

DECRETUM
De Examinatoribus Synodalibus.

SAcrosancti Concilii Tridentini Decretis inhærentes, hos pietate, & scientia dignos Viros proponimus vobis, ut Examinatorum Officio fungantur.

Examinatores Synodales.

ADM.R.D.Stephanus Murria U.J.D.,& S.Theologiæ Professor,Prothonotarius Apostolicus, & noster Vicarius Generalis.

R.U.J.D D.Xaverius Grillo,Abb.Beneficiatus,& hujusCathedralisEcclesiȩDecanus.

R.U.J.D. D. Xaverius Sartiani Abb. Beneficiatus, & hujus Cath.Ecclesiæ Cantor.

R. D. Franciscus Antonius Fratea, U.J. & S. Theologiæ Professor, Inchisarca, & Canonicus Theologus hujus Cathedralis.

R. D.Laurentius Amodeo, Canonicus Pœnitentiarius hujus Cathedralis.

R. D. Antoninus Basile U.J. & S. Theologiæ Professor, Prothonotarius Apostolicus, & Canonicus hujus Cathedralis

R.D.Joseph Mazzapica U.J.D. Prothonotarius Apostolicus, & Collegiatæ Terrænovæ Archiprebyter.

R.D.Hyacintus Parise, U.J.Professor, & Ecclesiæ S Nicolai de Latinis Abbas.

R.D.Alexander Zerbi, U.J.Professor, Prothonotarius Apostolicus. & Rector Sãctæ Christinæ.

R. D. Henricus Giurato Rector Ruris Parachorii.

R. U. J. D. D Joseph Chitti Sacerdos, & noster Locumtenens S. Christinæ.

R.

R. P. Franciſcus-Maria la Ruffa, Lector Jubilatus, & Provincialis Ord. Minimorũ.
R. P. Antoninus Geſualdus Ordinis Minimorum in almo noſtro Seminario Philoſophiæ Lector, & Collega Provincialis.
Facta per Synodalem Secretarium interrogatione per verba: *Placent ne vobis?* Reſponderunt: *Placent.*
Poſtea per eumdem Secretarium fuit lectum.

DECRETUM DE JUDICIBUS SYNODALIBUS.

EX Decretis S. Concilii Tridentini, & Bonifacii VIII. conſtitutione, & ex aliorum Summorum Pontificum Ordinationibus, eligendi ſunt Synodales Judices, quorum Judicio per S. Sedem Apoſtolicam cauſſæ delegari poſſint. Subſequentes ideo vobis, pro hujuſcemodi negocio peragendo, declaramus, qui ſunt.

JUDICES SYNODALES.

ADM. R. U.J. D. D. Stephanus Murria Prothonotarius Apoſtolicus, & noſter Vicarius Generalis.
R. U. J. D.D. Joannes Leonardus Grillo, Abbas Beneficiatus, & Archidiaconus hujus Cathedralis.
R.D. Franciſcus Antonius Pleitanus, Abb. Beneficiatus, & hujus Cath. Theſaurarius.
R. D. Dominicus Girardis, hujus Cathedralis Canonicus Prothonotarius.
R. D. Bernardus Striverius, Collegiatæ Terrænovæ Canonicus.
R. D. Rochus Muſitano, S. Georgiæ Rector.
R. D. Antonius Taccone, Rector Settizani.
Rogavit iterum Synodi Secretarius: *Placent ne vobis?* Et reſponderunt *Placent.*
Deinde fuit lectum.

DECRETUM DE TESTIBUS SYNODALIBUS.

VEteres Canones ſanxerunt, ut probati eligantur Viri, qui irrepentes forte in Diœceſibus improbos mores adverterent, eoſque ad Epiſcopos deferrent, ut pro iiſdem extirpandis remedia opportuna præſtarent. Eos ergo declaramus ſequentes.
Omnes Manſionarii Cathedralis, & omnes Parochi, & Vicarii Foranei Diœceſis.
Rogavit denuo Synodi Secretarius: *Placent ne vobis?* Et reſponderunt; *Placent.*

INSTANTIA III.
De Officialium deputatione in Eccleſiaſticis rebus peragendis.

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Pater, & Domine.

QUum Eccleſiaſtica negocia ab Eccleſiaſticis Viris ſint ſedulo pertractanda, qui à te in partem regiminis advocati, paſtoralis muneris tibi onus allevient: iccirco ego Synodi Promotor humillime, ac inſtanter, rogo, ut eos deputes, & declares.

Poſt-

Post quam instantiam idem Synodi Secretarius, de mandato Illustrissimi, & Reverendissimi Domini, legit sequens.

DECRETUM DE OFFICIALIBUS.

IN regiminis pastoralis partem advocamus probatos Viros, qui nobis adjuvamento sint, & nostro commisso Populo, ut salutem assequatur æternam, subsidium parent, & exemplum. Sunt autem, qui sequuntur.

Advocatus Pauperum in nostra Ecclesiastica Curia R.D. Antoninus Basile, Canonicus hujus Cathedralis.

Promotor Fiscalis nostræ Episcopalis Curiæ R. D. Franciscus Germanò, Canonicus hujus Cathedralis.

Deputatus pro exigendis pœnis, & piis usibus applicandis, R. D. Laurentius Amodeo, Canonicus Pœnitentiarius hujus Cathedralis.

Deputatus pro examinandis, & approbandis processibus, & requisitis Ordinandorum, R. D. Franciscus Antonius Pleitanus, Canon. Thesaurarius hujus Cath.

Deputati Seminarii ad formam S. Concilii Tridentini.

R. U. J. D. D. Joannes Leonardus Grillo, Archidiaconus.

R. U. J. D. D. Xaverius Sartiani, Cantor hujus Cathedralis

Sacerdos U.J.D. D. Franciscus Fossare.

Sacerdos D. Joseph Girardis.

Deputati pro Taxa Cathedratici,

R. U. J. D. D. Xaverius Grillo, Decanus.

R. D. Franciscus Antonius Pleitanus, Thesaurarius.

R. D. Joseph Furina, Canonicus.

R. D. Laurentius Amodeo, Canonicus Pœnitentiarius hujus Cathedralis.

Deputati pro visitandis Suppellectilibus, immediatè tangentibus Sanctissimum Christi Corpus in Sacrificio Missæ, quater in anno.

Pro parantia Terrænovæ D. Franciscus de Brunis, Cantor illius Collegiatæ.

Pro parantia S.Christinæ D.Antonius Mazzapica, Sacerdos,& Abb.Beneficiatus.

Pro visitandis, promovendis, & corrigendis, si opus fuerit, sodalitatibus Ecclesiasticarum sub invocatione S. Philippi Nerii, in quamplurimis nostræ Diœcesis locis. R. D. Bernardus Striverius Collegiatæ Terrænovæ Canonicus.

Clavigeri communis Arcæ, in Episcopio existentis.

R. U. J. D. D. Xaverius Grillo, Decanus.

R. U. J. D. D. Xaverius Sartiani, Cantor.

R. D. Laurentius Amodeo, Canonicus Pœnitentiarius hujus Cathedralis.

Præfectus Collationis Casuum Conscientiæ, R.D. Laurentius Amodeo Can. Pœnit.

Post quæ rogavit Synodi Secretarius: *Placent ne vobis?* Et responderunt; *Placent.*

INSTANTIA IV.

De Juramento ab Examinatoribus Synodalibus, à Judicibus, & Testibus identidem Synodalibus, ac ab aliis Officialibus, præstando.

Illustrissime, & Reverendissime Domine.

EXaminatores Synodales, Judices, ac Testes pariter Synodales, & Officiales omnes in hac Synodo electos, ad præstandum juramentum accedere oportet, juxta

juxta Sacrorum Canonum Statuta, & S. Ecclesiæ consuetudine. Propterea ego Laurentius Amodeo, Canonicus Pænitentiarius, hujus Cathedralis,& Synodi Promotor, reverenter insto, ut Examinatores Synodales, Judices,& Testes etiã Synodales, ac Officiales omnes in hac Synodo electi,respective in manibus Dominationis tuæ Illustrissimæ jurent. Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus respondit: *Juramentum præstent*. Deinde Examinatores Synodales primo in manibus Illustrissimi, & Reverendissimi Domini sub hac forma jurarunt.

FORMA JURAMENTI.
Pro Examinatoribus Synodalibus.

EGO N.N. Examinatoris Officium, quod suscipio, spondeo, voveo, ac juro, me, quacunque humana affectione postposita, fideliter, ac sincerè, quantum in me est, executurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc *Sancta* Dei *Evangelia*.

Postmodum Judices, ac Testes Synodales, & Officiales omnes, in manibus ejusdem Illustrissimi, & Reverendissimi Domini, singuli juramentum emiserunt, sub hac forma.

FORMA JURAMENTI.
Pro Judicibus, ac Testibus Synodalibus, & pro cæteris Officialibus.

EGo NN. Electus N. promitto, & spondeo, me Officio mihi imposito diligẽter functurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Testes autem junctas manus posuerunt intra manus Domini Episcopi,& hoc modo jurarunt, absque præfatorum verborum recitatione.

INSTANTIA V.
Pro Casuum reservatione.

Illustrissime, & Reverendissime Pater, & Domine.

QUum ad Episcopos quoque, ex S. Concilio Tridentino, jus spectet Casus aliquos in suis Diœcesibus sibi reservandi; Iccirco ab Amplitudine tua Illustrissima, ac Reverendissima, humiliter peto Ego Laurentius Amodeo, Canonicus Pœnitentiarius, & Synodi Promotor, ut casus in hac Diœcesi tibi reservatos, hac etiam in Synodo legi, & publicari, præcipias.

Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus respondit: *Publicentur*. Post quæ Synodi Secretarius, de mandato Illustrissimi, & Reverendissimi Domini, è suggestu legit Casus, quos sibi Dominus Episcopus noster reservat; tam illos,quibus affixa est censura, quam illos, quos sine censura sibi tamen reservatos vult.

CASUS
In Civitate, & Diœcesi Oppidensi reservati cum Censura.

1 BLasphemia in Deum, Beatam Virginem, vel Sanctos; à fortiori blasphemia hæreticalis; vel quæ dæmoni Sanctitatem tribuit.

2 Cæcas literas, vel cum suppositis nominibus, vel scribentes, vel scribi mandantes, vel consulentes; & alienas literas aperientes, auferentes, vel occultantes, invitis, vel nescientibus illis, quibus scriptæ sunt.

3. Veneficia, maleficia, incantationes, superstitiones, & sortilegia, cum dæmonis invocatione, etiam tacita, exercentes.
4. Detentores bonorum, vel scripturarum, quarumcunque Ecclesiarum, vel piorum locorum; vel occupatores, vel pertinaciter debitores, aut non sacrum in Ecclesiis furantes, & in eisdem peccata carnalia committentes.
5. Impedientes quovis modo indebito infirmos de re bus suis testari, vel codicillari vel legata facere, præcipuè quæ sunt ad pias caussas.
6. Deponentes falsum in judicio, etiam ad reorum defensionem, & falsam scripturam proferentes in damnum partis.
7 Homicidium voluntarium, vel abortum animati fœtus, committentes, procurantes, auxilium, vel consilium dantes.
8. Detentio Infantium in eodem lecto, absque repagulo, ante annum ab eorumdem nativitate, suffocatione secuta.
9. Molestantes, malehabentes, verberantes Ministros Curiæ Episcopalis, in exercitio sui Officii, vel in odium Curiæ, aut Ministrorum ejus.
10. Allocutio cum Monialibus, vel cum aliis Mulieribus, in Clausura existentibus, etiam de rebus non profanis, sine licentia, vel ad illas literarum amatoriarum, aut scriptio, aut delatio; vel de rebus turpibus, etiam cum licentia, allocutio.
11. Delinquentes in Ecclesiis, earunque gradibus, & pertinentiis, in proximi offensionem, vel in loci Sacri contemptum, & ad talia auxilium, consilium, vel favorem dantes.
12. Copula carnalis inter sponsos nondum matrimonio legitimè conjunctos & incestus in primo consanguinitatis, & affinitatis, gradu.

CASUS
Reservati sine Censura.

1. NEfandum Sodomiæ peccatum inter Masculos tam activè, quam passivè; bestialitatis scelus; & cum mulieribus paganis, vel cum mortuis, coitus detestabilis.
2. Incestus in secundo, & tertio consanguinitatis, vel affinitatis gradu, ex matrimonio proveniens; ex actu verò illiciti concubitus, vel ex spirituali cognatione, in primo tantùm; & concubinatus ultra duos menses.
3. Impedientes quomodolibet, absque legitima auctoritate, in præjudicium boni publici, libertatem vendendi, emendi, permutandi, aut alio modo distrahendi, sive acquirendi, granum, vinum, oleum, carnem, sericum, aut alia.
4. Usuras reales sive apertè, vel palliatè, aut quoscunque usurarios contractus, committentes, ac eorum usus.
5. Matrimonium Clandestinum contrahentes, aut non servata forma à S. Concilio Tridentino præscripta, & ante matrimonium coram Parocho, & testibus celebrandum, conversantes cum sponsis, quamvis Copulā non habuerint.
6, Incisores Arborum fructiferarum, invito Domino.
7. Verberantes Patrem, & Matrem:
8. Incendiarii non denunciati, quia si fuerint denunciati, à Summo Pontifice tantùm absolvuntur.

9.

9. Decimas Parochis; aut debita locis piis, aut legata pia; non ſolventes.

10. Opprimentes violenter, aut violantes Virgines, præſertim ſub promiſſione matrimonii; & procurantes abortum priuſquam animetur fœtus, ſecuto tamen effectu.

11. Facientes donationes fictitias Ordinandis, patrimonium non habentibus.

12. Confeſſarii, qui cum Pœnitentibus, ſive maſculis, ſive fœminis, quomodolibet peccaverint, ſive qualemcunque lethalem Culpam, in quovis peccati genere, cum iis commiſerint, pœnitentes ipſos, peccati ſocios, minime abſolvant, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus, ipſo facto, incurrenda, & nobis reſervata.

Et præter hos, & alios caſus, & cenſuras in corpore præſentium conſtitutionum Synodalium reſervatas; omnes alias à noſtris Prædeceſſoribus inflictas, quæ his adverſantur, caſſamus, & irritamus.

Rogavit poſtmodum Synodi Secretarius: *Placent ne vobis?* Et reſponderunt *Placent.*

I N S T A N T I A VI.
Pro dimittenda prima Seſſione.

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Pater, & Domine.

QUia hac in prima Seſſione nihil aliud neceſſarium videtur eſſe, ut à nobis in Synodo tractetur; ideo pro ejusdem primæ Seſſionis dimiſſione Ego Laurentius Amodeo, Canonicus Pœnitentiarius, & Synodi Promotor, humiliter inſto.

Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus reſpondit: *Placet.*

Secretarius Synodi deinde ſequens Decretum de Seſſione ſecunda, de mandato Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini, legit.

Decernimus, & indicamus, Seſſionem ſequentem fore Craſtina die, quæ erit hujus menſis decima-nona, hora decima, celebrandam.

FINIS PRIMÆ SESSIONIS.

SES-

SESSIO II.

DIE ergo decima nona Augusti mane ora decima ad Cathedralem Ecclesiam Oppidensem convenerunt omnes, associantes Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum pro secunda Sessione celebranda; ubi postquam omnia gesta fuissent, quæ in Romano Pontificali præscribuntur, Illmus Dominus hanc sequentem alloquutionem ad Clerum, & Populum habuit.

ALLOQUUTIO

Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini
ad Clerum, ac Populum
In secundæ Sessionis exordio.

PRiscis sane temporibus Ecclesiæ experiebantur omnes, quantum splendoris, ac utilitatis, afferret ad hostiles actus, impetusque retundendos, Synodorum coactio, & convocatio; quibus & pullulantes, & excrescentes hæreses, heresumque suspiciones, pravique mores, ita à provida Pastorum diligentia enervabantur, & arcebantur, ut Ecclesiæ ipsæ malignis incursibus, periculisq; imminentibus, ac Spiritualibus internecionibus emergentibus, jamjam obrutioni proximæ, cælesti hoc præsidio, sæpe sæpius salutari, tranquillaque devotione, lætarentur.

At Ecclesia nostra, *Venerabiles Fratres, Dilecti Filii*, anteactis annis, quibus Synodali actione caruit, fortassis etiam experta est; vel ob charitatis jam deficientis teporem, vel ob pietatis forte etiam caligantis obscuritatem, Fidelium animas tartarorum insidiis, aut, quod amare flendum, cessisse, aut, quod est quoque dolendum, ut minimum non obstasse. Pastorum, qui nos præcesserunt, si memoriam, quam laudabilem satis habemus, ob hoc taxamus, criminari adhuc nostram non veremur. Justis ex caussis omiserunt illi, distulimus nos, annualem Synodorum celebrationem; at utinam damna, quæ in dilectissimo grege evenire poterant, & forsan quoque evenerunt, resarcire potuissemus! Verum nobis, divina sic disponente misericordia, datum est ad præsens, ac in posterum, Deo favente, dabitur, tot tantisque malis, hujusce primæ, & sequentium quoque Synodorum, convocatione, occurrere, ac vetusta damna reparare.

Tantum itaque opus perfuncturi, vos omnes monitos esse volumus propositi, ac amoris nostri, ut libentiori animo ad hanc Sanctam Orationis Domum, in qua sacra actio habetur, disciplinam accipere parati, conveniatis. At quid per hoc arbitramini, Fratres? Quid pertimescitis Filii? Legem nos daturos in timorem servitutis? Absit. Perspecta satis nobis est vestra fides, vestrum obsequium, charitas vestra. Hinc nec vos intendimus novarum Sanctionum, quasi intolerabilis jugi, formidine deterrere; nec vobis esse volumus oneri, quod graviter præmat, sed freno potius, quod suaviter compescat.

Zelo igitur timoris Domini accendamur omnes, *Dilecti in Jesu plurimum*; pro comperto habentes, quod sicut observantia Fedei nos inflammat, ita, & accendet

cendet instauratio disciplinæ. Huc vota nostra collimant, ut corrupta instaurentur, ut labefactata muniantur. Hæc omnes, & singuli operemur; hæc virtute pari, hæc devotione consimili, exequamur; ut corruptione profligata, Fides vivida crescat, religio immaculata perseveret, charitas semper ardens superabbundet in cordibus nostris. Sicque de virtute in virtutem nos procedentes, hinc gaudium, & corona Ecclesiæ, inde Spiritus Sancti habitaculum, effici, adjuvante Domino, mereamur.

Synodi autem Promotor pro Decretorum publicatione institit.

INSTANTIA.

Pro Publicatione Decretorum:

Illustrissime, & Reverendissime Pater, & Domine.

UT Clerus hic præsens, totusque Populus, pastorali tuæ vigilantiæ concreditus, tuorum decretorum salutarem fructum valeant percipere, ego Laurentius Amodeo, Canonicus Pænitentiarius, Synodi Promotor humillimè insto, ut decreta, quæ aut nova edere, aut prius sancita confirmare, Dominationi tuæ illustrissimæ placuit, è suggestu, ut moris est, publicari, & evulgari, per Synodi Secretarium præcipias.

Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus respondit: *Publicari mandamus*. Tunc Secretarius accessit ad Domini Episcopi Sedem, & summisso corpore ab eo Synodalia decreta accepit, & ejus manu osculata, eadem clara, & intelligibili voce è suggestu sic legere incepit.

CAPUT I.

De Fide Catholica, ejusque Professione.

QUum Fides initium sit salutis, virtutumque omnium basis, ejus integritatem, ac puritatem custodire in commisso nobis grege summopere exoptamus. Ut autem hoc pleniffime assequamur, hæc præcipere visum nobis est necessarium, & opportunum.

1. Si qui Hæretici, vel de heresi suspecti in nostra Diæcesi clanculum, vel aperte, moram trahere comperientur: qui illos noverint, statim nobis denunciare teneantur, sub pæna excomunicationis latæ sententiæ, Summo Pontifici reservatæ.
2. Nullus Bibliopola intra fines nostræ Diæcesis introducat libros, qui sint in Sacro Indice prohibiti.
3. Nullus domi retineat, aut legat, aut legi faciat libros prohibitos, & in Sacro Indice descriptos, sub excomunicationis pæna, aliisque à S. Concilio Tridentino inflictis.
4. Magi, Strigæ, Venefici, Incantatores, Sortilegi, cæterique similium diaboli inventionum sectatores, publicatione Apostolicarum constitutionum semel in anno terreantur: & in delinquentes præscriptis pænis rigorose procedatur.
5. Idem observetur omnino in blasphemias hæreticales proferentes, aut alia perversa dogmata docentes, publicantes, vel quomodolibet inducentes.
6. Christiani captivi è Turcarum regionibus redeuntes à Parochis denuncientur

nobis

nobis, ut examinari possint, si aliquo falso Mahometis dogmate sint infecti.

7. *Si quis* palam in Deum, Deiparam, ac *Sanctos* blasphemus hæreticalis fuerit, aut Dæmoni *Sanctitatis* laudem tribuere auserit; *Si* Laicus, juxta Constitutionem Pii V. plectetur; *Si* Clericus, carcerum pro prima vice, pro secunda vero ducatorum duodecim pæna, mulctabitur.

8. Fidei professionem ad formam constitutionis Pii IV. emittere teneantur juxta enumerationem in Concilio Romano, nuper à *Sanctissimo* Domino nostro Benedicto XIII. celebrato, factam, qui sequuntur.

I. Episcopus, aliique de Clero recens Ecclesiasticis de beneficiis provisi, aut Sacris Ordinibus initiati, in Diœcesana *Synodo* prima celebranda.

II. Dignitates, & Canonicatus obtinentes post adeptam possessionem, tum in manibus Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, tum in Capitulo infra bimestre.

III. Beneficia cum animarum cura habentes, post ipsorum possessionem, infra idem tempus, in manibus tantummodo Episcopi, vel Vicarii Generalis, prout, & in alterutrius manibus.

IV. Quicumque alia Beneficia simplicia obtinentes.

V. Item novus Vicarius Generalis, Vicarii foranei, Procuratores, & Promotores Fisci Episcopalis, Cancellarii, cæterique Ministri ejusdem Curiæ.

VI. Novi Concionatores etiam Regulares.

VII. Novi Confessarii, etiam Monialium.

VIII. Docentes publicè, vel privatim, Theologiam; Philosophiam, Jus Canonicum, aut Civile, vel inferiores quaslibet disciplinas, etiam Grammaticā.

IX. Ac tandem Medicinam, & Chirurgiam, exercentes, & Obstetrices.

9. In nostra Curia sit liber, in quo nomina, & cognomina omnium Fidei professionem emittentium describantur. Ipsi autem profitentes, ut & testes, descriptioni per Cancellarium factæ, se subscribant.

10. Domini nostri Jesu Christi Passio, Martyrum, aliorumque Sanctorum gesta, nec in loco publico, nec in privato, & præsertim in Ecclesiis, sine nostra licentia non repræsententur, sub pœna Ecclesiis interdicti, Personis vero interdicti ab Ecclesiis.

C A P U T II.

De Doctrina Christiana.

EX Synodo S. Mem. D. Antonii Cæsonii, Prædecessoris nostri, discimus, Christianæ Doctrinæ Congregationem jam ab anno 1617. in hac Civitate, & Diæcesi fuisse. At postmodum temporum vicissitudinibus, non sine magno dolore obliteratam fuisse comperimus. Ut autem iterum erigatur in hac nostra Cathedrali, & in omnibus Parochialibus Diæcesis Ecclesiis impense hortamur omnes, Parochis autem strictè præcipimus; cujus congregationis methodus, regulæ, indulgentiæ, aliaqua infra in appendice exhibentur.

1. Parochi omnes singulis festivis diebus de præcepto, aut saltem Dominicis, per seipsos, vel ante, vel post prandium, campanæ signo dato, doctrinæ Christianæ rudimenta pueros suæ Parochiæ doceant, sub pœnis carolenorum decem pro qualibet transgressione.

2. Clerici in prima tonsura, vel in minoribus constituti, adjuvent Parochos; per

per vias pueros advocantes, & colligentes, & ad Ecclesiam ducentes. Quod si secus fecerint, ab ulteriorum Ordinum susceptione se sciant imposterum removendos.

3. Patres, & Matres familias, qui pueros suos, vel puellas, ad Christianam doctrinam addiscendam mittere neglexerint, à confessariis non absolvantur, usque dum illos mittant.

4. Si Parochi in hoc munere desides fuerint, alius apponetur, qui eidem muneri satisfaciat, sumptibus Parochorum negligentium.

5. Scholarum Grammaticæ Professores in quavis hebdomada per unum diem discipulos suos super Doctrina Christiana instruant.

6. Parochi nullos ad suscipiendum è sacro fonte pueros, vel ad matrimonium contrahendum, vel ad alia Sacramenta recipienda admittant, qui Symbolum Apostolorum, Dei, & Ecclesiæ præcepta, orationem dominicam, angelicam salutationem, & fidei Mysteria, quæ ut credantur explicite à quolibet, quum ad usum rationis pervenerit, necessitate medii est necessarium, ignoraverint.

7. Confessarii de prædictis Pœnitentes interrogent, & si ignorantes illos invenerint, non absolvant.

8. Porochi moneant Populum inter Missarum solemnia, Parentes, qui filios, aut filias ad doctrinam Christianam non ducunt, aut mittunt, absolvi non posse; & omnes qui prædicta mysteria, & orationes ignorant, à Sacramētorum perceptione removendos esse.

9. Celebrantes in Oratoriis, Cappellis, & Ecclesiis ruralibus, ubi Sacra celebrari consuevere, pueros, & puellas ibi existentes Christianam Doctrinam doceant sub pœna suspensionis à Divinis, Episcopi arbitrio imponenda.

10. Eadem obligatione teneri Dominos circa famulos, & famulas, qua Parentes erga filios, & filias, ut eas ad doctrinam Christianam aut ducant, aut mittant, Parochi sedulo omnibus inculcent.

CAPUT III.

De Collatione Casuum Conscientiæ.

1. SEmel in hebdomada die Dominico post Vesperas in hac nostra Cathedrali, & in omnibus parochialibus diœcesis, collatio casuum conscientiæ inviolabiliter habeatur. Si quis in ea præsens non fuerit, qui sit in Sacris Ordinatus, tres carolenos solvat, qui in minoribus unum; Confessarii autem, si sæculares carolenorum quinque pœna mulctentur; Si vero Regulares, facultate in postmodum Confessiones audiendi careant.

2. In collatione prædicta præmittatur semper spiritualis libri lectio, circa ea, quæ Sacerdotali statui conveniunt, quam collationis Præfectus facere teneatur.

3. Casibus propositis omnes respondere sint parati, sive Confessarii sint Sæculares, sive Regulares.

4. Pagella cum casibus discutiendis in Sacrario affigatur, ut Casus ab omnibus legi valeant, & ante collationem, vel in libris ipsorum resolutio inveniri, vel à doctis Viris possit acquiri.

5. Quum per duodecim annos huic collationi in hoc nostro Episcopio, per singulos

gulos dies dominicos habitæ; nos ipsi præfuerimus; nosque casuum resolutionem semper dederimus, hoc insuper inposterum facturos nos fore promittimus, eadem sane methodo, qua usque modo perfecimus;nobis autem absentibus, aut aliquo impedimento detentis, Canonici Pænitentiarii id muneris fit.

6. Nullæ sint in collatione rixæ, nulli clamores, sed pacifice quisque opinionem suam dicat, & Præfecti resolutionem cum modestia expectet, & cum submissione amplectatur,

CAPUT IV.

De Sacræ Scripturæ lectione.

Theologalem Præbendam, quam in hac nostra Cathedrali nondum erectam invenimus, adjuvante Domino ereximus; & quia Beneficium non erat in Diœcesi, quod eidem uniremus, prævia facultate, a Sacra Congregatione Concilii nobis benigne concredita, Ecclesiarum Civitatis, & Diœcesis subsidiis Beneficii defectum supplere curavimus. Ut autem hoc in perpetuum duret, hæc observanda decernimus.

1. Procuratores Ecclesiarum prædictarum solvant annuatim summam, quæ in taxa pro suis respective Ecclesiis notata est,& quam usque ad præsens absq; contradictione solverunt.

2. Theologalis præbenda perpetuo unita maneat Inchisarchæ dignitati, quæ est sexta post Pontificalem; ita ut de illa provisi, statim de Theologali præbenda provisi habeantur; ut a nobis, facultate prædicta, in erectionis initio statutum est,& usque modo per duas provisiones in Romana Curia fuit observatum.

3. Hæc Theologalis Præbenda a Sacro Concilio Tridentino ad Sacræ Scripturæ expositionem, & interpetrationem, est instituta, & hoc pacto elapsis ab institutione temporibus in nostra Cathedrali observata est; ac proinde ne in Theologiæ moralis lectionem, vel aliam quamcunque commutetur futuris temporibus omnino prohibemus.

4. De hac Præbenda provisi quolibet die Dominico post Vesperas lectiones habeant, sub pæna amissionis fructuum pro rata in beneficium Ecclesiarum, quæ subsidium contribuunt. Excipiuntur autem Dominicæ Quadragesimæ, & Mensium Julii, Augusti, Septembris, & Octobris, juxta Stylum nostræ Cathedralis,

5. Lectores insuper Theologi pro audientium captu dicendi ratione utantur; semper autem id observent, ut literam Textus primo exponant, postmodum duas ad minus quæstiones proponant, & solvant, historialem unam, moralem alteram, & ultimo aliquid dicant proprium ad virtutes sectandas, vel ad vitia fugienda.

6. Ad lectionem conveniant omnes Dignitates, & Canonici, Parochi, & Confessarii, tum Seculares, tum Regulares, omnes etiam de Clero, ut in nostra Cathedrali observatur, sub pæna carolenorum trium pro qualibet, absque legitima caussa, absentia; Regulares autem sub pæna suspensionis a Confessionibus audiendis, si hæc lectio in Monasteriis suis non habeatur.

CAPUT V.
De Verbi Dei prædicatione.

1. SAnctissimus Dominus noster Benedictus XIII. in Concilio Romano, nuper habito, nobis præcipit, solicitam navare operam, ut sine intermissione simus, in commisso nobis grege pascendo assidui, & ut vox Pastoris in Ecclesia, saltem Dominicis, & Festis Sollemnibus, audiatur. Si hoc nos, ante quoque Concilium, executi fuerimus, omnes norunt; ac proinde, exemplo nostro, omnes ad dicendum è sacris Suggestibus edocti sunt. Parochi autem omnes, ut festivis diebus, aut saltem Dominicis, sermonem ad Populum habeant, dum Missam parochialem celebrant, & hoc vernacula lingua, simplici, & a Populo intelligibili, sub pœnis a Sacris Canonibus inflictis, adstrictos se esse intelligant.

2. Nullus sive Secularis, sive Regularis Clericus, in hac nostra Civitate, & Diœcesi, ad Verbi Dei prædicationem admittatur, qui prius a nobis recognitus, examinatus, & approbatus, non fuerit.

3. Inter concionandum verba otiosa, scurrilia, vana, non proferantur, hystoriæ apochryphæ non referantur, pravæ Hæreticorum opiniones non recitentur, sed sana doctrina Populo proponatur, & profectus audientium intendatur.

4. Tempore Quadragesimalis Concionis, aut Adventus, Missæ non celebrentur; Canonici vero omnes, & cæteri Ecclesiastici, diebus Festivis, & Dominicis, concioni intersint, sub pœnis arbitrio nostro reservatis; cæteris vero diebus in Cathedrali Canonici de hebdomada, quod in Collegiatis etiam observetur, sub iisdem pœnis. Canonici contravenientes privabuntur ulterius Distributionibus illius diei.

5. Ante Solis Ortum, vel post Solis Occasum, conciones non fiant; nec etiam in feria quinta in cœna Domini.

6. Nullus, dum concio habetur, cooperto capite, aut pileo, aut byreto, quo Laici utuntur, concionem audiat, sub pœna suspensionis a concionibus Concionatori, qui id adverterit, & non correxerit; & si transgressor non resipuerit, à concionando non se abstinuerit.

7. Mulieres separatæ sint ab hominibus semper in Ecclesia, præsertim autem concionis tempore.

8. A Parochis nemo ad concionandum admittatur, si nostram facultatem in scriptis non exhibuerit.

9. Regulares concionatores licentiam suorum Superiorum ostendant nobis, priusquam licentiam ad concionandum obtineant.

10. A concionatoribus Pauperes non commendentur sine licentia a nobis obtenta; etiamsi concionatores Regulares sint, & in propriis Ecclesiis concionem habuerint.

11. Teneantur Parochi nos certiores reddere, si quis Cōcionator errorem aliquem disseminaverit, aut corruptelam contra bonos mores introduxerit.

12. Concionatores insuper in fine sui muneris saltem in scriptis, si non in voce, significent nobis abusus, & scandala, quæ fortassis in Populo, vel in Clero, irrepsisse compererint.

13.

13. Eleemosinæ, quæ a Concionatoribus commendantur, statim ac collectæ fuerint, Parochis tradantur, qui illas Pauperibus suæ Parochiæ, consultis ipsis Concionatoribus, fideliter distribuant.

14. Tempus præfixum futurorum malorum non afferant, nec Antichristi adventum, aut certum Iudicii diem prædicent; caute autem de occulto Prædestinationis arcano loquantur. In omnibus vero non seipsos prædicēt, sed Dominum nostrum Jesum Christum, & hunc Crucifixum.

15. Qui nominandi jus legitimum Concionatores in Quadragesima, vel in Adventu, habere prætendunt, illos ante Epiphaniam pro Quadragesima, & ante Festum Omnium Sanctorum pro Adventu, nominent. Expiratis autem Epiphaniæ, aut Sanctorum omnium diebus, si non nominaverint, pro illo anno jus nominandi amittent; prout moris semper fuit in nostra Diœcesi. Reservamus tamen nobis facultatem aliter disponendi ad favorem communitatuum ex gratia, & sine præjudicio.

16. Unam nominationem tantum facere possunt, quod si hæc suum effectum nō fuerit sortita, vel ob Concionatoris defectum, vel ex alio accidenti, præterquam si a nobis non admittatur, non poterunt alium nominare, quod est peculiaris consuetudinis, cui inhæremus, absque ulteriori innovatione, in nostra Diœcesi, in Metropolitana Audientia decisum, & a Romanis Tribunalibus confirmatum, ut in nostris Allegationibus invenitur.

17. Si nominatus justis ex caussis nobis non placuerit, dicimus, quod *contradicimus Personæ*; & interim poterit alius nominari.

18. Syndici nominantes abstineant a verbis *eligere*, *deputare*, *destinare*, *&c.* cum hoc tantum ad nos spectet; ipsi vero solummodo possint proponere, præsentare, & nominare.

C A P U T VI.

De Ecclesiarum Cultu.

1. Rectores, Beneficiati, Sacristæ, aliique alicujus Ecclesiæ curam habentes, saltem quavis hebdomada semel Ecclesias suas, aut verrant, aut verrere faciant; & semel etiam in mense ab aranearum telis parietes mundent. Qui in hoc negligentes fuerint, præcipue vero Cathedralis Ecclesiæ Sacristæ pœnis, pro negligentiarum mensura irrogandis, puniantur.

2. Ambulationes in Ecclesiis non fiant, non tumultus, non cachinni, non clamores, præsertim divinorum Officiorum tempore, aut sacrarum concionū.

3. Nemo pileolo albo in Ecclesiis utatur, nec alterius coloris, si niger excipiatur, ad Clericorum parvi pileoli instar.

4. Laici utriusque Sexus Chorum non ingrediātur dum ibidem divina Officia recitantur, aut cantantur, aut Ecclesiastici sacris vestibus induti permanent, sub pœna interdicti ab Ecclesia.

5. Super Altaria nemo pileum, aut byrethum, aut pileolum, ensem, pallium, linteum, aut alia hujusmodi, ponere audeat, nec iisdem inniti, vel terga vertere, aut brachia imponere.

6. Mulieres super Altarium scabella non sedeant, nec Altarium palliis terga imponant, nec super scabella prædicta, aut mulieres, aut Viri, si Ecclesiæ non sint homines, & sacri genuflectant.

7. Utroque genu præcationes in Ecclesia fiant, cum unico genuflecti non sit

Chri-

Christum adorare, sed illudere?

8. Viri in loco distincto, ac separato, quantum fieri potest, a mulieribus in Ecclesiis morentur, nec cum mulieribus ibidem longum sermonem protrahant.

9. Epistolæ in Ecclesiis non legantur, nec libri, qui non sint pii, nec confabulationes, nec commessationes fiant.

10. Ecclesiæ omnes statim post signum salutationis angelicæ claudantur, nec ante auroram claram aperiantur; sub pæna interdicti earundem Ecclesiarum, Rectoribus vero, Præfectis, & Sacristis earum, sub pæna librarum Ceræ elaboratæ trium.

11. Intra Ecclesias arma non ferantur, sed ante januas deponantur, cum qui iisdem utuntur, Ecclesias ingrediuntur, nec quidem Cursoribus nostræ Curiæ exceptis, sub pæna interdicti ab Ecclesia.

12. Per Ecclesias nemo transeat merces, aut commestibilia, aut aquam, bajulans; Sacristæ, qui hoc non prohibuerint, pænis ad nostrum arbitrium punientur.

13. Clamores puerorum in Ecclesiis non tolerentur, nec Matres eorum audeant lustralem aquam iisdem ad bibendum apponere; aliter facientes, ab Ecclesiis ejiciantur.

14. Campanæ, si adhuc non sunt benedictæ, benedicantur, ad profanos usus non pulsentur, nec ad Sacros, si de servitio ordinario non sint, absque Superioris sacri licentia obtenta, juxta consuetudinem hactenus observatam; excipientes solitos casus, in quibus licentia non requiritur Episcopi. Sabbatho majoris hebdomadæ eas nemo, nec Secularis, nec Regularis pulset, nisi prius illæ majoris Ecclesiæ pulsatæ fuerint, sub pænis in sacris Canonibus contentis.

15. In Cõfessionalibus fiant crates ferreæ, & tabella omnium casuum reservatorum, eaque in aperto collocentur; Pænitentes a longe stare faciant Confessarii, & nullam in Confessionalibus tabulam, qua operiantur, habeant.

16. Vasa aquæ benedictæ quolibet mense Sacrista mundare teneatur, & Sacrarii Clavis omnino asservetur, ne aliquando Sacrarium apertum remaneat.

17. Nihil intra Ecclesias asservetur, quod earundem Ecclesiarum servitio non sit deputatum.

18. Linea suppellex quolibet mense dealbetur; Corporalia, pallæ, & lintea, omnino semper sint munda.

19. Prohibitæ sunt fenestræ, per quas è domibus privatis patet ad Ecclesias aspectus, vel januæ, per quas ad easdem habetur ingressus.

20. Ecclesiarum immunitas, vel aliorum Sacrorum locorum, nobis semper cordi fuit, ac omnibus Ecclesiæ hominibus optamus, ut quovis tempore, præ cunctis humanis respectibus, sit carior. Juxta ergo Constitutionem Gregorii XIV., & juxta aliam novissimam Benedicti XIII., feliciter regnantis, contendamus eam semper sartam tectam habere.

21. Juxta Ecclesiarum parietes sordida non fiant, nec prope earum januas venalia exponantur, aut ludi exerceantur.

22. Nemo in Ecclesiis præsumat locum habere proprium, aut scamnum, non obstantibus consuetudinibus, quæ corruptelæ sunt potius, omnino tollēdæ.

23.

23. Non erigantur Ecclesiæ, nec altaria, sine dote; si quæ sunt de jure patronatus, & dote carent, si infra annum non provideantur, condemnentur Patroni prout de jure, & caussa cognita.

24. Parochiales Ecclesias, quæ adhuc consecratæ non sunt, statim ac à Rectoribus fuerimus requisiti, consecrabimus; & hoc ex mente Sanctissimi Domini nostri Benedicti XIII.

25. Ecclesias campestres non approbamus, eas tamen toleramus, si factæ sint, non faciendæ; dummodo semper clausæ maneant, & nihil in ipsis asservetur, quod sit sacri loci majestati indecorum.

CAPUT VII.

De sacris Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum.

1. Sacræ Imagines, antequam ad publicam exponantur venerationem, sint a nobis, vel ab aliis, quibus id muneris, ex facultate a Sacrorum Rituum Congregatione, nobis benigne concredita, commisimus, benedictæ.

2. Si sint consumptæ, vel deletæ, vel corrosæ, sicut & statuę, comburantur, & cineres in sacrario ponantur.

3. Nihil profanum contineant, quod non sit cum sacra historia connexum, ad tenorem Synodorum Prædecessorum nostrorum, D: Pauli Diano, & D. Bisantii Fili. Proindeque prohibita sint in posterum exponi effigies hominum, qui non sunt in Sanctorum albo ab Ecclesia declarati, in tabulis Altarium, ubi Sacra Mysteria celebrantur, quacunque dignitate homines fulgeant, & quacunque corporis dimissione depingantur.

4. Imago Christi Domini Crucifixi sit depicta in Cruce, quæ in altari ad celebrandum apto exponitur; aliter in eodem altari non celebretur, sub pœnis ad nostrum arbitrium.

5. Imagines procaci vanitate depictæ, & quæ potius ad libidinem, quam ad devotionem, moveant, omnino ab Ecclesiis amoveantur.

6. Sanctorum Imagines profanorum hominum effigies non repræsentent, cum ab Urbano VIII.,& a Sacrorum Rituum Congregatione, prohibitum habeatur.

7. Imagines, quæ non sunt sacræ historiæ conformes, non permittantur, & quæ risus potius excitant, quam cultum, non tolerentur.

8. Sanctorum Reliquiæ cum veneratione custodiantur, & exponantur; clavibus sint obseratæ, in decentibus Thecis sint collocatæ, & cum competentibus cereis sint expositæ.

9. In tabernaculo, ubi sacratissimum Christi Corpus asservatur, non reponantur, & in sepulchris,in feria quinta in cœna Domini, vel cum sacra hostia est exposita, vel in Corporis Christi sollemni festo, non exponantur.

10. Pro Sanctorum Reliquiis non habeantur, quæ à nobis non sunt recognitæ, & approbatæ.

11. Clavium Sacrarum Reliquiarum, quas nos in nostra Cathedrali prope diem collocabimus, unam nos ipsi retinebimus, aliam Canonicus Thesaurarius, aliam Canonicus Sacrista major conservabunt.

12. Sub excomunicationis pæna, ipso facto incurrenda, nemo audeat, quantumvis partem minimam, è Sacris Reliquiis subripere, nobis inconsultis,

13. Non ostendantur Sacræ Reliquiæ, præter sollemniora festa, absque nostra licentia, & a Presbytero cum superpellicio, & stola, & luminibus saltem quatuor accensis.

14. Ad Ægrotos Reliquias defferri nolumus, absque nostra in scriptis licentia; & si quæ in privatis ædibus asservantur, honore debito conserventur.

15. Reliquiæ non debent ab omnibus tangi, nec collocari, nisi a Sacerdotibus, aut in ditioribus Thecis, aut cum pretiosioribus ornamentis.

CAPUT VIII.

De Festorum observatione.

1. Parochi sequentis hebdomadæ dies festos singulis Dominicis diebus, ut & jejunia, Populo annuncient, ipsumque moneant, dies festos præcedentis, & subsequentis noctis medietatibus, tanquam principio, fine, concludi.

2. Alii contractus præter eos, qui a jure permittuntur, & qui enumerantur a Glossa in Cap. finali de Feriis, diebus Festis minime fiant. Sileat insuper omnis actorum Judicialium strepitus, sub pæna interdicti ab Ecclesia.

3. In Caussis civilibus nullæ executiones fiant, nec reales, nec personales, sine licentia nostra, vel nostri Generalis Vicarii, gratis concedenda; nisi ubi adsit fugæ suspicio. Nequeant tamen absolvi, qui contravenerint, nisi vel captos in libertate ponant, vel pignora reddant.

4. Prohibentur diebus festis alearum, vel taxillorum, ludi, in loco publico; choreæ, commessationes, ebrietates, & spectacula, in quibus Mimi vanas repræsentationes agere, & sub prætextu medicinæ sua inania figmenta vendere consuescunt.

5. Nullus Parochorum, absque facultate sibi a nobis specialiter concessa, laborandi licentiam diebus festis concedat, cum hoc ad solos nostros Vicarios foraneos spectet.

6. Vicarii autem foranei ne facile concedant licentiam servilia diebus festis exercendi, nisi temporibus messis, vindemiæ, ac serici, olivarum, & castanearum, aliorumque fructuum recollectionis, ubi necessitas urgeat, & pietas suadeat.

7. Nullum autem opus servile diebus festis fiat; ac proinde Mulieres linea non lavent, nec Soli in viis publicis exponant. Vectores jumenta oneribus non ferant, venditores non vendant.

8. Aromatarii, & Tonsores possunt pro infirmis vendere, & laborare, item Pistores, Macellarii, & Tabernarii, possunt occlusis officinis, & solo ostiolo aperto, ad victum necessaria subministrare. Possunt quoque vendi herbæ, fructus, pisces, & alia commestibilia, sed prævia semper licentia, gratis concedenda, prout hactenus in tota Diœcesi observatum fuit.

9. Nullus in testimonium requisitus a seculari foro diebus festis accedat, & testimonium jurejurando facere non audeat; nisi in caussis a jure permissis, & secundum loci consuetudinem.

10. Dominicis, & festis diebus de præcepto, omnes rationis usum habentes, Missam audiant, & si comode fieri potest in propria Parochia. Virgines, & Vi-

& Vidu[illegible], [illegible] Pauperes, quæ hoc præceptum, sub prætextu mortis Parentum, vel paupertatis vestium, non adimplent, excomunicationis pęnam subeant, ob pertinaciam, & obstinationem.

11. Molitores in molendinis cum nostra licentia, gratis danda, festis diebus suum exerceant officium, exceptis tamen sollemnioribus festivitatibus anni.

12. Si quis diem festum violaverit, & fuerit in fraganti deprehensus, si sit simplex Operarius pœna Carolenorum sex, quindecim si cum animalibus oneratis, vel in labore occupatis, sive suis, sive alienis, & decem si sit aut Artifex, aut Mercator, qui domum apertam ad vendendum tenuerit, multabitur, & pauperibus loci distribuetur, quemadmodum semper in hac Diœcesi, immo in tota Provincia, in usu fuit; minuentes tamen pœnam trigintaquinque carolenorum, quæ prius in hac Diœcesi solvebatur.

13. Sacristæ die præcedenti festum dent signum cum Campana in Vesperis; ut Populus imminens festum advertat.

14. Qui licentiam diebus festis laborandi obtinuerint gratis omnino, vult in Concilio Romano Sanctissimus Dominus noster Benedictus XIII. ut moneantur, *quatenus ex eo quod illis utilitatis obvenerit Ecclesiis circumpositis, & Dei pauperibus, aliquam in alterius veluti cultus repensum, faciant portionem*.

15. Diebus festis moneantur Populi a Parochis, & Concionatoribus, ut tanquam tempori Deo dicato, Deo ipsi, ac spiritualibus magis, vacare studeant; Sacramenta sumant, conciones audiant, divinis Officiis intersint, ac ferventius pietatis opera exerceant. Hoc est enim festa perfectius sanctificare.

CAPUT IX.

De Jejuniorum observantia.

1. POST vigesimum primum annum omnes tenentur sub mortali jejunare diebus Quadragesimæ, prętер Dominicos, feriis quartis, sextis, & sabatis, quatuor temporum, ac omnibus vigiliis. Qui contrafacere consueverint, quid sentiant de Fide, juridice a nobis interrogabuntur.

2. Si necessitas ad non jejunandum compulerit, vel ad paschales cibos comedendum, id non fiat nisi de Medici declaratione, & nostra, vel nostri Vicarji Generalis, licentia.

3. Parochi singulis Dominicis jejunia sequętis hæbdomadæ populo denunciēt.

4. Jejunii quadragesimalis diebus macellarii intra macellum carnem vendant iis tantum, qui licentiam in scriptis habuerint, nec eas venales publice exponant.

5. Medicis in virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus, ut in attestationibus faciendis, non sint faciles; suas animas onerantes, ut aliorum corpora juvēt.

6. In sacrario Cathedralis, & cujuslibet parochialis Ecclesiæ affixæ in parietibus habeantur notulæ tum festorum de præcepto, tum jejuniorum, in hac nostra Diœcesi, ut ab omnibus legi valeant.

CAPUT X.

De Vita, & Honestate Clericorum.

1. CLerici omnes, ut in sortem Domini vocati, in optimis se studiis, sacrisque literis, diligenter exerceant; sacros ritus, rubricas, & ceremonias, calleant, cantum gregorianum addiscant, divinaque munia in Ecclesiis cum pietate obeant, & majestate.
2. Officia profana non agant; a prohibitis venationibus, ab indecoris ludis, & illicitis negociis se abstineant.
3. Mulierum consuetudinem omnino devitent, & cum eis, nisi primo, vel secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu conjunctis, multoque magis extraneis, non cohabitent.
4. Qui ignominiam secularis habitus,& comas capitum amore divino deposuerunt, veste ac tonsura, Clericis congruente, semper utantur, comamque fictitiam, vulgo *Perucca*, aut *Cerchietti*, nunquam adhibeat. Non annulos deferant, nisi deferentibus ratione dignitatis, id competat; & tunc illos, præter Abbates, si sint benedicti, in Missæ celebratione deponant. Hæc a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIII. in Concilio Romano præcepta sunt, & in edicto insuper, de Clericorum Urbis vita, & honestate, die 20. Decembris anni 1724., quæque etiam omnibus Episcopis jussit, ut in Diœcesibus suis publicanda, & omnimode observanda, curarent.
5. Cohęrenter autem ad Prædecessorum nostrorum statuta præcipimus, ut omnes Ecclesiastici utantur vestibus talaribus, modestis, & proprio Ordini congruentibus. Tibialia, Caligæ, & similia, coloris sint modesti, non rubei, non viridis, vel cærulei, vel crocei; & calceamenta nigra, sub pœna carolenorum decem. Possunt tamen, dum equitant, vel iter faciunt, brevioribus vestibus, non tamen ad Secularium instar, & calceamentis albis, uti.
6. Si Missam celebraturi absque talari veste Ecclesiam, aut sacristiam,ingressi fuerint, & Missam celebraverint, tam Sacerdos, quam Sacristæ excommunicationem ipso facto incurrant; ut in edicto nostro continetur, & in omnibus Romæ Sacristiis observatur, & legitur.
7. Clerici in minoribus constituti si secularibus vestibus incedant, ultra enūciatas pœnas, clericalibus quoque privilegiis, juxta Apostolicarum Cōstitutionum dispositionem, privabuntur.
8. Clerici vero Beneficiati, si adscititiis utantur comis, & clericales vestes non deferant, pœnis Tridentini Concilii, & constitutionis Sixti V., & novissimæ alterius regnantis Pontificis Benedicti XIII, quę incipit: *Catholicæ Ecclesiæ*; plectentur; & quoad comas tam ipsi, quam illi in Sacris constituti, excommunicationis pœnam incurrent, ut Sacra Congregatio Concilii declaravit; Clerici autem in prima tonsura, vel in minoribus, si non sint beneficiati, & comam nutriant, aut adscititiam deferant, pœnam ducatorum duodecim solvant; ut in Synodo D. Filii continetur.
9. Ecclesiastici cujuscunque generis laicarum personarum famulatum non gerant; nec mulieres associent, cujuscunque conditionis,sub pęnis ad nostrum arbitrium.

10.

10. Venationes, quam sacri Canones prohibent, sub pœnis in ipsis sacris Canonibus contentis, non faciant.
11. Non doceant Mulieres legere, scribere, canere, & instrumenta musicalia pulsare, absque nostra licentia in scriptis.
12. Qui Clericalem habitum renunciare voluerint, coram nobis, vel nostro Vicario generali, servatis, servandis, decreto nostræ curiæ interposito, faciant, alias renunciatio facta sit irrita, sub pœnis in Synodis nostrorum Prædecessorum contentis.
13. Qui etiam Clericalem habitum reassumere voluerint, id non faciant, nisi necessaria informatione præmissa,& decreto curiæ interposito;ut in præfatis Synodis continetur; sub pœnis ibidem expositis.
14. Diaconi, & subdiaconi festis diebus de præcepto, & Dominicis, sacram Synaxim sumant; Clerici vero semel in mense, & quando nos in Pontificali celebramus.
15. Omnes a publicis negociis, ab exactionibus fiscalibus, ab officiis universalibus, a datiorum conductionibus, se omnino abstineant; nec Medici, Chirurgi, aut Pharmacopolæ,artem exerceant;sub pœna carceris formalis.
16. Arma non prohibita in regiis pragmaticis a clericis nō deferantur sub pœna ducatorum vigintiquinque; prohibita nec deferantur, nec retineantur sub pœna ducatorum centum; prout in Synodo D. Fili continetur.
17. Post secundam noctis horam non vagentur, nisi cum lumine, & cum necessitate; nec in publicis locis canant, aut sonent, nec talia facientibus se associent; sub pœna rotolorum decem ceræ albæ elaboratæ.
18. Tabernas in Civitate comedendi, vel bibendi caussa, non ingrediantur; & a choreis, commessationibus, ebrietatibus, comediis, baccanalibus, ludicris, & profanis spectaculis, omnino se abstineant, sub pena carceris formalis; cui etiam pœnæ subjaceant, qui personati incedere ausi fuerint.
19. Qui ludis, in quibus sors prævalet, ut sunt aleæ, taxilli, & similes, aut luserint, aut interfuerint, sive publice, sive private, ducatorum duodecim pro qualibet vice pœnam incurrant, prout in Synodo D. Fili prohibetur.
20. Nemo Ecclesiæ addictus absque commendatitiis nostris è Diœcesi discedat, sub pœnis in Synodis præcedentibus contentis. Parochi autem, qui extra Parochiam pernoctaverint, gravius punientur.
21. Clerici omnes, statuta cuilibet feria, teneantur Missis inservire, aliaque Ecclesiæ necessaria peragere, ut usque modo facere consueverunt, sub præcedentium Synodorum pœnis.
22. Iter facientes Clerici, aut per campos euntes, clericalem vestem, saltem breviorem, non deferant, nec absque clericali collari incedant; sub carceris formalis pœna. Vestis autem brevior sit prout in Ss.D. N. Benedicti XIII. edicto continetur.
23. Laicalis Curiæ Ministris nemo Clericus injuriam facere præsumat, nec vim vi repellere audeat; quum Ecclesia Dei defendenda non sit more Castrorum.
24. Forojudicatis, Bannitis, aut aliis coram Judice laico inquisitis, non faveant;

veant; illos nec receptando, protegendo, aut occultando.

25. Famulas habeant non suspectas, & quinquagenarias; nec mulieres alias præter consanguineas, & affines, usque ad secundum gradum, domi retineant; sub limitationibus, ampliationibus, & pœnis, quæ in Synodo D. Fili continentur.

26. In nostra Cathedrali, & in unaquaque Parochiali, sit tabella, in qua omnes Ecclesiastici sint cum propriis nomine, & cognomine, descriptis, primo videlicet Sacerdotes, & postmodum successive Diaconi, Subdiaconi, Clerici, & cum nostra licentia Ecclesiasticum habitum deferentes.

CAPUT XI.

De Parochis.

1. IN quavis parochiali Ecclesia, hora competenti, ac filianorum commoditati congrua, missam parochialem celebrent Parochi cunctis diebus festis, & in ea sermonem spiritualem ad populum habeant; prout in *Capite V. Sessione I.* continetur; & hoc sub pœna amissionis fructuum, & aliis ad nostrum arbitrium.

2. Quatuor libros habeant, in quorum primo Baptizati, in secundo Confirmati, in tertio Defuncti, in quarto Conjugati, adnotentur distincte, & cum nominibus, & cognominibus, describantur.

3. Quotannis enumerent animas, in sua Parochia existentes, & ad formam novi Ritualis Romani describant, sub pœna librarum decem ceræ albæ elaboratæ.

4. Habeant omnes Cathechismum Romanum, & qui non habent, infra mensem emant.

5. Elapso paschali tempore denuncient nobis illos omnes, qui hujuscemodi præcepto per sacram Synaxim non satisfecerint.

6. Si quis infans absque Baptismo decesserit, vel si quis adultus infirmus, sine sacramentis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, vel sine assistentia in ultimo agone, si cum Parochi culpa hoc evenerit, decem librarum ceræ albæ elaboratæ pœnam solvat.

7. Parochianos Ægrotos visitent, præcipue si morti sint proximi; animarumque curam per seipsos exerceant, si aliter non fuerit a nobis dispensatum. Curent, ut infantes in Parentum lecto non retineantur nocte, nec mares, & fœminæ, post nonum ætatis annum, simul in eodem cubili, etsi in primo, vel secundo gradu, dormiant.

8. Omnino intra fines propriæ Parochiæ resideant, ac continuo pernoctent, sub pœnis alibi expressis, & aliis ad nostrum arbitrium. Mulieres in lecto parturientes visitaturi non accedant, excepto Sacramentorum administrationis casu.

9. Diebus festis in sedibus confessionalibus assistant cum superpellicio, & stola, ad confessiones audiendas, & cum indifferentia pœnitentes audiant; nec unam personam alteri præferant, aut alicui Sacramentum absque caussa denegent.

10. Parochi, & Sacristæ sacra Olea bene, & diligenter, custodiant, ac nemini

mini

mini tradant, vel quum ea ad infirmos reportant, vel quum ad Ecclesias reducunt; sub pœnis ad nostrum arbitrium.

11. Usurpantes, vel sibi appropriantes, vel occupantes, aut per se, aut per alios, quidquam ad Ecclesiam pertinens è domo Parochi defuncti, a fidelium communione ipso facto se exclusos intelligant; etiam si essent ipsius Parochi Hæredes, vel Conjuncti.

12. Parochorum conscientiam oneramus super eleemosinis, quas de Ecclesiasticis proventibus ipsi facere tenentur; & nemo, in præjudicium animæ suæ, super hoc sibi injuste blandiatur.

13. Parochialem Missam saltem Dominicis, & festis diebus, pro populo applicent; prout in Sacræ Congregationis Concilii Decreto, quod in omnibus sacristiis nos affigi mandavimus, continetur.

14. Sint proprii Ordinarii comendatitiis, & sine nostra licentia in scriptis, nō permittant, ut alienæ Diœcesis Sacerdotes in Ecclesiis sibi subjectis celebrent, sub pœnis ad nostrum arbitrium.

15. In feria quinta in Cœna Domini omnes Parochi legant coram populo vulgari sermone Bullam in Cœna Domini, cum casibus ibidem reservatis, & S. Concilii Tridentini Decretum contra bonorum Ecclesiæ occupatores. Casus vero, & censuras nobis reservatas prima Dominica Quadragesimæ; & edictum S. Officii prima Dominica Adventus.

16. In benedictione do morum in Sabatho Sancto, vel in Epiphania, omnino ædes illas non benedicant, in quibus aliquis excomunicatus habitat, vel quas incolunt meretrices, aut publici peccatores, vel quæ aleis, ludisque vetitis, exponuntur.

17. Oblationes, quæ a fidelibus fiunt Ecclesiis, non ad Parochos spectant, sed in Ecclesiarum ornatum cedere debent, vel Sacelli, aut Imaginis, quibus fiunt, prout pluries Sacra Congregatio declaravit.

18. Curent omnino recuperare census, & res occupatas, a Prædecessoribus male distractas, absque legitima licentia, & sine evidenti utilitate; Domos reparent, novas arbores plantent, sepibus circumdent, & servitutes repellant; prout boni Patres familias in suis bonis facere consuescunt.

19. Habeant sigillum cum Imagine Sancti tutelaris propriæ Ecclesiæ, & si non habent, infra annum confici curent, sub pœnis ad nostrum arbitrium.

20. Penes se habeant Sacrā Bibliā, Missale, Breviarium, Sacrum Concilium Tridentinum, Synodum hanc nostram, Doctrinas Cardinalis Bellarmini, minorem, & majorem, & aliquem librum, qui vel de Officio Parochi tractet, vel morales quæstiones resolvat.

21. Benedictiones quæcunque, sive aquæ, Candelarum, Cinerum, Palmarum, Olivarum, Commestibilium, Sponsorum, & Puerperarum, Superpellicio, & Stola induti peragant, non sedentes, neque genuflexi, sed stantes, aperto capite, & semper in Ecclesia, & nunquam domi.

22. Cereum Paschale paschali tempore benedicant, & ardere faciant, non vero candelam, quæ ardeat, cerco superimponant.

23. Conficiant inventarium pro Sacristiæ, & Ecclesiæ, mobilibus, & alius pro Parochiæ immobilibus, quæ nobis in Sancta Visitatione exhibebunt, sub pœnis ad nostrum arbitrium.

24.

24. Nullum diem fine ftudio, & fine oratione, præterire patiantur; debent enim fcire, & orare fine intermiffione.

25. Annulos non deferant, nifi doctoratus laurea fint infigniti.

CAPUT XII.
De Dignitatibus, & Canonicis.

1. CAnonici, qui in noftra Cathedrali dignitatum titulo decorantur, finguli ea exerceant munia, quæ cujuslibet funt officio deputata.

2. Archidiaconus, qui eft prima dignitas, capitulum habeat convocare, negocia proponere, & primum in choro, & in capitulo, locum occupare; ibidem alios corriget, fi opus fuerit, & veniam dabit illis, qui egredi, cum jufta cauffà, voluerint. Nobis affiftet, quum Pontificalia exercemus, & in noftri abfentia functiones, & Miffas in follemnioribus feftis perfolvet. In ejus autem defectu Decanus, & gradatim alii, & Dignitates, & Canonici, fuccedant.

3. Decanus cuncta peraget,quæ agere debet Archidiaconus, fi is abfens fuerit.

4. Cantor chorum reget, & cætera divina Officia intra, & extra chorum diriget; lectiones, antiphonas, & prophetias, diftribuet, tabellas conficiet & a quibus functiones Ecclefiafticæ per turnum ordine fucceffivo celebrari debeant, ordinabit. Ejus muneris erit, ut divinæ laudes pie, devote, diftincte, ac cum paufa, recitentur. Omnes igitur in choro, & in proceffionibus ei obediant; eoque abfente Precentori.

5. Thefaurarius facras Reliquias bene affervabit, indumenta, vafa pretiofiora, ac denique totius Ecclefiæ Thefaurum, qua par eft decentia, & diligentia, confervabit. De his omnibus inventarium conficiet, quod a nobis fubfcribetur.

6. Nobis follemniter celebrantibus, vel Pontificalia exercentibus, Dignitates, & Canonici omnes, & cæteri de Clero, affiftant, ac inferviant, & ad Ecclefiam cum cappa accedentes, vel ab ea recedentes, nos comitentur.

7. Juxta tabellam horariam, quæ in Sacriftia exponitur, divina officia perfolvant; qui abfque licentia è Choro exierit, pro abfente reputabitur; quemadmodum qui fero acceſſerit, & qui alta, & intelligibili voce canere, & recitare noluerit. Hæc autem tabella horaria ab omnibus Diœcefis Ecclefiis eft obfervanda; ut S. Congregatio Concilii pro Ecclefia S.Chriftinæ hujus Diœcefis declaravit.

8. Per feipfos inferviant; & legitima cauffa accedente, poffunt alios fubftituere, juxta noftræ Cathedralis, & Collegialium Ecclefiarum, confuetudinem.

9. Diftributiones, quæ ab abfentibus amittuntur, donari, cedi, remitti, non poffunt. Si abfentes, vel non infervientes, donatas, vel remiffas, habuerint, ad reftitutionem teneantur, & intereffentibus accrefcant, ut in Synodo D. Fili cautum invenitur.

10. Ad refidentiam tenentur omnes; fi ultra tres menfes, quis abfens fuerit, ad formam S. Concilii Tridentini procedetur; & pro tribus menfibus a jure conceffis, nemo fine noftra licentia difcedat, fub pœnis ad noftrum arbitrium.

11.

11. Pro qualibet hebdomada duæ Dignitates, & quatuor Canonici choro inserviant, & quatuor Mansionarii; Præcentor vero cunctis diebus in Missis, & in Sollemnibus, etiam in Officio, prout hactenus observatum est.

12. De qualibet hebdomada Punctator eligatur, qui omnes absentes, aliosq; contravenientes, describat, & interessentibus pœnas distribuat. Quilibet autem Punctator in manibus nostris, vel nostri Vicarii generalis, juret de fideliter officio punctandi administrando.

13. Nugas, colloquia, risus, epistolas, vel libros legere in Choro, dum divina Officia persolvuntur, omnino prohibemus; quemadmodum chirothecas in manibus habere, vel parvulas manicas, vulgo *manicotti*, aut ventilabrum, in capitibus Cuphias, vel Camolaucia, & alia hujusmodi; qui contravenerint, punctentur.

14. Quæ de actibus capitularibus in Synodo D. Diani Parisii sancita sunt, & in Synodo D. Fili confirmata, nos etiam in hac nostra approbamus; videlicet, quod Capitulum in loco solito capitulari, & non extra cõvocetur, præcedente campanæ signo, ut moris est, sub pœna nullitatis actuum.

15. Capitulo sic convocato omnes tam Dignitates, quam Canonici, interveniant, nisi legitima caussa impediantur, a capituli Præsidente cognoscenda, sub pœna carolenorum quinque.

16. Scrutinium secretum adhibeatur, quum graviora negocia sunt determinanda, vel electio aliqua peragi debet.

17. Deputetur arca cum duabus clavibus, quarum unam teneat Syndicus Capituli, & alteram Secretarius, & in ea sigillum, & acta capitularia asserventur.

18. Capituli Secretarius, qui quotannis per secreta suffragia eligendus est, annotet omnes capitulares conclusiones in libro ad id deputato.

19. Nullus de Capitulo aliquam scripturam de re aliqua gravi subscribat; aut Capituli sigillo obsignet, sub nullitatis pœna, & aliis ad nostrũ arbitrium.

20. Literæ, quæ ad Capitulum transmittuntur, a Secretario tantum recipiantur, & non aperiantur, nisi Capitulo congregato; eisque respondeatur secundum majoris partis vota; & hoc sub pœnis in Synodo D. Diani taxatis.

21. Nemo recuset officium, quod sibi Capitulum commiserit, nisi legitima caussa accedente, a nobis cognoscenda.

22. Negocia ardua, ac magni momenti, ad ipsum Capitulum, vel ad nos, vel ad bonorum ipsius Capituli administrationem spectantia, absque nostro interventu, aut licentia, Capitulum nullo modo pertractet, aut disponat; prout Sacra Congregatio Concilii pluries declaravit.

23. Nunquam Canonici censendi sunt congregati capitulariter, nisi numerus alteram ex duabus viventium partibus excesserit.

24. Nobis Pontificalia exercentibus in quavis Ecclesia intra Civitatem Capitulum assistet, & privatam Missam, sive extra, sive intra Cathedralem, celebrantibus, duo saltem Canonici, inserviant; ut Sacra Congregatio Concilii respondit.

25. Quolibet anno anniversarium a Capitulo cum Clero diei obitus nostri

Prædecessoris, cum nostro interventu, celebretur.

26. Canonicus Sacrista major in Sacristia cunctis diebus de mane assistat, festis autem, & præcipue Dominicis etiam ad Vesperas.

27. Nobis rationem reddet de omnibus, quæ in Ecclesia, vel in Sacristia, aut deperduntur, aut pereunt, ex culpa etiam Laicorum.

28. Sine sua licentia Campanas pulsari non sinat, quando ordinarie pulsantur, ut moris semper fuit; quæ licentia in consuetis casibus non sit deneganda; quando vero extraordinarie, sit etiam licentia nostra; & campanariæ turris claves apud se retineat.

29. Canonici cantum gregorianum discant sub pænis a Sacra Congregatione Concilii præscriptis.

30. Canonicus Præcentor officium suum sedulo subire non negligat.

CAPUT XIII.

De Monialibus.

1. TRIA, Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, vota continuo in corde Moniales habeant, & opere complere satagant; nec non Regulam, quam professæ sunt, perseveranter observare contendant.

2. Omnes quotidie ad recitationem Divini Officii conveniant, & mane saltem per horæ dimidium orationi mentali, in communi faciendæ, in Choro etiam vacent. Vespere vero, antequam cubitum eant, propriam conscientiam examinare non negligant.

3. Omnes Moniales juxta præscriptum Venerabilis Servi Dei Innocentii XI. semel saltem per annum decem diebus continuis spiritualia exercitia peragant, & Novitiæ etiam antequam habitum recipiant, & antequam professionem emittant.

4. Omnem vanitatis umbram effugiant, sive in vestibus, sive in capillis, sive in aliis, quæ seculi pompas redolent, non claustri paupertatem, & asperitatem.

5. Puellæ educandæ in Monasteriis habitus modestos deferant, & quantum fieri potest habitibus Monialium conformes.

6. Nemo, sub excomunicationis pæna prope Monasterii muros, sive prope Atrium ipsius, vel canendo, vel sonando, vel turpia proferendo, maneat, aut deambulet, eo fine, ut a Monialibus audiatur, aut videatur.

7. Nullus Sacerdos tam Secularis, quam Regularis, exceptis Confessario, & ordinario Cappellano, in Ecclesiis Monialium Missam celebret, absque nostra, vel Vicarii nostri licentia in scriptis, sub pæna suspensionis ipso facto incurrenda.

8. Neminem alloquantur tam Professæ, quam Novitiæ, & Educandæ, nisi prævia nostra, vel nostri Vicarii licentia, quam in scriptis habere teneatur, quicunque illas alloqui voluerint; & qui eam non habuerit, & illas alloqui præsumpserit, excomunicationis pœnam ipso facto incurret, quam nobis reservamus. Excipiuntur conjuncti in gradibus primo, vel secundo consanguinitatis, & in primo tantum affinitatis; declarantes in eandem excomunicationis pænam incidere eos, qui alloquentes ali-

nam cum licentia, aliam, vel alias, in licentia non comprehensas, alloquuntur.

9. Confessarii Monialium, quum Clausuram ingrediuntur, urgente necessitate administrationis Sacramentorum Pænitētiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, Monialibus, aut aliis ibi ægrotantibus, vel ut easdem ad bene moriendum adjuvent, superpellicio, & stola semper se induant; recto tramite, breviori via ad Infirmæ Cubiculum incedant, & a duabus antiquioribus Monialibus associentur. Cum Infirmarum Confessiones audierint, aperto Cellæ ostio id faciant, itaut a duabus Associatricibus, interim extra manentibus, videri semper possint, sed non audiri. Si quis vero confessarius in toto, vel in parte, contravenerit, ipso facto suspensionis pœnam incurret.

10. Temporibus, quibus ad Moniales concio habetur, Nemo ad crates accedat ad aliquem alloquendum; & Ecclesiæ fores clausæ sint omnino, exclusis laicis omnibus, etiam mulieribus.

11. Cappellani, vel alii, cum licentia nostra in Ecclesiis Monialium quandoque celebrantes, non per hoc licentiam cum iisdem alloquendi habere præsumant. Quod si loquantur, excomunicationem ipso facto, nobis reservatam, incurrent.

12. Moniales omnes, sive Choristę, sive Cōversæ, Novitiæ, Educādæ, & Famulæ, separatim cubent, in suo quæque lecto, & ubi fieri potest in suo etiam quæque cubiculo.

13. Sit locus separatus, in quo Educandæ noctu cubent, & die morentur; quemadmodum alius identidem pro Novitiis; ut S. Congregationis decreta præscriblint. Et usque dum loci isti non construantur, si adhuc non sunt constructi, nec Puellæ Educandæ, nec Novitiæ recipiantur.

14. Conveniant omnes in Refectorio, sive ad prandium, sive ad cœnam, ubi de eodem pane, de eodem obsonio, de iisdem cibis, comedant omnes; & spiritualis lectio ibidem nullo tempore omittatur.

15. Absoluto regimine nequeant Abbatissæ, aut aliæ officiales in exactione crediti Monasterii se amplius immiscere; nec Abbatissæ noviter electæ hoc permittant, sub pæna tam istis, quam illis, privationis vocis activæ, & passivæ per triennium.

16. Nullus sit locus vel in Monasterio, vel in Viridario, in quo Moniales aliquem extra claustra constitutum alloqui possint, & si quis locus hujusmodi inveniatur, illico, & omnino destruatur.

17. In Sacristia, & prope crates nemini permittitur ad prandium, vel ad cœnam, comedere, sub pæna suspensionis per mensem ab officio Abbatissis id permittentibus.

18. Procuratores quolibet anno suæ administrationis computa reddere teneātur, & nullatenus partitas, ut ajunt, non exactas relinquere possint, sed in fine anni tota exigentia tanquam facta ipsis computabitur, ac ab eis omnium partitarum tanquam exactarum ratio exigetur.

19. Sanctæ communitatis studium, tum in victu, tum in vestitu, omnibus commendamus, ut eam vel custodiant, vel recipiant; iisdem proponentes

nentes bona; quæ communem vitam in claustris exacte observantibus, & in terris elargitur Deus, & præparat in Cælis.

20. Pro Ecclesiis ornandis non liceat Monialibus quicquam commodato recipere sine nostra, vel Vicarii nostri, licentia; ac earum similiter sacram supellectilem sine præfata licentia commodare, sive Abbatissæ, sive Sacristæ, sit prohibitum. Contravenientes Abbatissæ per mensem ab officio suspendentur; Sacristæ vero officio privabuntur.

21. Ratio dati, & accepti, singulis mensibus summario ab Abbatissa, & a Vicaria, recipiatur; quotannis strictius, & exactius a nobis, seu a personis á nobis deputatis.

22. Si pro Educandarum alimentis quolibet semestri certa Monasterio pecunia anticipate non solvatur, alimenta Educandis non præstentur; quinimmo ad suos illico remittantur, nobis prius consultis. Abbatissæ contravenientes ad nostrum arbitrium punientur.

23. Monasterii januæ nõ aperiantur pro colloquiis,aut ad introducẽda ea,quæ per rotas introduci possunt; sed tantum ex caussa necessaria; nec ante Solis ortum, nec post ejus occasum.

24. Fenestellis, tam pro Confessione, quam pro Communione, deputatis, ad sermones cõferẽdos Moniales nõ abutãtur,sub excomunicationis pœna.

25. Tempore Quadragesimæ, & Adventus, crates non aperiantur, nec pariter diebus sacræ communionis, præsertim de mane.

26. Nulla Monialis ad prandium, vel ad cœnam,aliquid præparet cuicunque sive propinquo, sive non, extra claustra existenti; Infirmis tamen permittimus aliquando aliquid præparari.

27. Per Vicariam administratio commestibilium intra Monasterium fiat, & ab ea ratio Abbatissæ reddatur.

28. Exigant vitalitia, nec illa conjunctis relinquere possint, quum res sint Monasterii; juxta edictum a nobis factum.

29. Libros non habeant, nisi pios, & de spiritu tractantes; & in hoc Confessariorum conscientiam oneramus.

30. In iis, quæ a nobis statutis non opponuntur, contenta in Synodo D.Fili, confirmamus.

INSTANTIA.

Pro dimittenda secunda Sessione.

Illustrissime, & Reverendissime Pater, & Domine.

QUIA pro aliorum decretorum publicatione pro præsenti die tempus nõ sufficit; ideo pro hujus secundæ Sessionis fine, & dimissione, & pro aliorum decretorum publicatione pro crastina die in tertia Sessione, ego Laurentius Amodeo, Canonicus Pœnitentiarius, & Synodi Promotor, humiliter, ac reverenter insto.

Illustrissimus Dominus respondit. *Placet.*

Secretarius postea Synodi sequens de Sessione tertia, de mandato Illustrissimi Domini, legit Decretum,

Decernimus,& judicamus sequentem Sessionem,quæ tertia erit,fore crastina die de mane quæ erit huius mensis vigesima, hora undecima, celebrandam.

FINIS SECUNDÆ SESSIONIS.

SESSIO III.

DIE vigesima Augusti, de mane, hora undecima, ad Cathedralem Ecclesiam Oppidensem convenerunt omnes, associantes Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum, pro tertia Sessione celebranda; ubi iis omnibus rite gestis, quæ in Romano Pontificali præscribuntur, Synodi Promotor, pro aliorum Decretorum publicatione, sic instititit.

INSTANTIA
Pro aliorum Decretorum publicatione.

Illustrissime, & Reverendissime Pater, & Domine.

UT alia decreta, quæ elapsa die, ob temporis angustias, publicari non potuerunt, ad majorem Cleri, & Populi tui, disciplinam, & reformationem, publicari facias hac die per Synodi Secretarium, ego Laurentius Amodeo, Canonicus Pænitentiarius, & Synodi Promotor, humiliter rogo, ac reverenter insto.

Illustrissimus Dominus respondit: *Publicari mandamus*.

Tunc Secretarius accessit, ut heri, ad Episcopi sedem, & genuflexus, ab eo alia Decreta Synodalia accepit, & osculata ejus manu, eadem clara, & intelligibili voce, è suggestu sic legere incæpit.

CAPUT I.
De Sacramento Baptismi.

1. SUmmopere satagant Parochi tantæ necessitatis Sacramentum quantocius Infantibus ministrare; Populumque moneant, ut recenter natos quamprimum ad idem suscipiendum in Ecclesiam deferant. Quod si elapso octavo ab ortu die non detulerint, Parentes excomunicationis pœnam incurrent.
2. Si Parochorum, vel OEconomorum negligentia, vel culpa, aliquis Infans sine Baptismi susceptione moriatur, præter alias pænas ad nostrum arbitrium, suspensionis etiam a Divinis ipso facto subjaceant pænæ.
3. Obstetrices, absque mortis periculo, Infantes non baptizent. Eas autem Vicarius noster generalis examinare in S. Visitationis actu, vel alias, & antequam id muneris suscipiant, & earundem fidei professionem suscipere habeat.
4. In Ecclesiis tantum, ubi fons baptismalis habetur, & in eis nonnisi orto jam Sole, de mane, & de sero, ante vigesimam quartam horam, nisi urgens necessitas aliter suadeat, baptismus ministretur.
5. Baptizatus domi ob necessitatem, si supervixerit, ad Ecclesiam deducatur, ibique a Parocho ceremoniæ tantum adhibeantur, prævio prius examine de forma, materia, & modo, quibus baptismus collatus fuerit.
6. Parochi statim post Baptismum collatum annotent diem, quo infans baptizatus fuit, ejusdem nomen, & cognomen, ac etiam Parentum, & Patri-

Patrinorum, nomina, & cognomina.

7. A Patrini munere repellantur excomunicati, vel interdicti, infames, & notorie flagitiosi, rudimenta Fidei ignorantes, nondum confirmati, & quatuordecim annis minores natu. Nec ad finem inhonesta commercia, vel nutriendi, vel occultandi, Compatres, & Commatres, qui tales non sunt, vocari audeant, sub pœnis nobis bene visis.

8. Collato Baptismo injungant Parochi Parentibus, vel Nutricibus, ne Infantes, antequam primum annum expleverint, secum in suomet lecto jacere faciant, sub excomunicationis pœna ipso facto incurrenda, si eam ob caussam ipsius Infantis suffocatio subsecuta fuerit.

9. Nomen semper alicujus Sancti in Baptismo Infantibus imponant Parochi, nec quicquam ob hujusmodi Sacramenti administrationem exigere audeant.

10. Infantes expositi sub conditione baptizentur, etiam si cum schedula testimoniali de collato Baptismo reperti fuerint.

11. Nullus Parochus alterius Parochiæ Infantem, sine proprii Parochi licentia, baptizet, sub pœnis ad nostrum arbitrium.

13. Per seipsos Porochi hoc Sacramentum administrare nec graventur, nec erubescant; exemplo etiam nostro, qui Sabatho majoris hebdomadæ, & Sabatho ante Pentecosten, præsertim, illud ipsum omnibus Infantibus, duplici illa hebdomada natis, administramus; quod quidem, ultra Ecclesiasticos Ritus, ab exemplo etiam Sanctissimi Domini nostri Benedicti XIII. didicimus.

CAPUT II.

De Sacramento Confirmationis.

1. Adulti ad hoc Sacramentum non accedat, nisi facta prius peccatorum suorum confessione, & de hoc a Parochis admoneantur.

2. Patrini easdem habeant conditiones, quas quum de Sacramento Baptismi diximus. Procuratores vero, qui prius in actis procurationis mandatum non presentaverint, non admittantur.

3. Viri viros, fæminæ autem fœminas, suscipiant; pluresquam duo, eadem die, absque nostra licentia, non suscipiantur; & Patrini sint semper majores natu confirmandis. Patrini tandem, qui fuerunt in Baptismo, iidem in Confirmatione non sint.

4. Liber pro confirmatis a Sacrista bene asservatus habeatur, & in eo distincte nomina, & cognomina, Confirmatorum, & Patrinorum, ad eodem Sacrista, vel a Parocho, describantur.

5. Parochi curent omnino, ne pueri infirmi, hoc Sacramento privati, in Civitate, ubi nos præsentes sumus, ex hac vita discedant; unde cum morbo gravati fuerint nos certiores faciant, ut illos confirmare possimus; sub pœnis ad nostrum arbitrium.

6. Qui adulti non confirmati, & ter admoniti Confirmationis Sacramentum suscipere renuunt, vel ob verecundiam, vel ob negligentiam, excomunicationis pœnam incurrent.

7. Sal-

7. *S*altem ad quintum ætatis annum, qui confirmari voluerint, pervenerint.
8. *S*chedulam deferant confirmandi, in qua Parochus describat nomen, & cognomen, cujuslibet ipsorum, & quod Fidei rudimenta calleat.
9. Ecclesiastici Patrini munus non suscipiant, absque licentia nostra, & Regulares sine proprii *S*uperioris permissione.
10. Parochi, antequam a nobis hoc *S*acramentum administretur, doceant plebem suam dignitatem ipsius, utilitatem, & reverentiam, qua ad illud suscipiendum accedere oportet.

C A P U T III.

De Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

1. ARCA, vel Custodia, ut dicitur, ubi Christi Corpus, pixide inclusum asservatur, ostiolum habeat, sera satisforti clausum, & clavi, vel argentea, vel saltem auro illita. In eadem, nec sacra Olea, nec Reliquiæ, asserventur. Duæ ibidem Pixides habeantur argenteæ, ut quum una ad infirmos defertur, altera semper in Custodia fidelium venerationi remaneat. In eadem sit quoque continuo corporale mundum, in quo Pixides collocentur. Conopea sint albi coloris, quemadmodum omnia, quæ *S*acramento Eucharistiæ deserviunt.
2. Particulæ æstatis tempore qualibet hebdomada, hyemis vero intra terminum decem dierum, a Parocho renoventur, sub pœna Carolenorum quindecim; quam pœnam incurret etiam *S*acrista, si negligens fuerit circa lampadis lumen, quod die noctuque ante custodiam ardere debet.
3. In Parochialibus, & conventualibus Regularium utriusque *S*exus, Ecclesiis tantum *S*acrosancta Eucharistia asservetur; nec alibi, nisi forte ex peculiari privilegio, quod nobis constare debet authenticè. Ubique tamen mundities, & nitor, in Custodia, in Pixide, in Corporalibus, aliisque *S*acræ Eucharistiæ asservationi deservietibus, sedulo procuretur.
4. Ecclesiastici omnes ante Tabernaculum transeuntes, uno saltem genu flectant; quando vero publice fuerit expositum *S*acramentum, ambobus genibus flectant, & caput magna reverentia, ac devotione inclinent. Seculares etiam sive Mares, sive Fæminæ, ante *S*acramentum publice expositum, nec sedere habeant, nec deambulare, nec stare, vertentes Altari terga, nec uno tantum genu flectere.
5. Presbyteri, ob justum impedimentum non celebrantes, & alii in majoribus ordinati, omnibus Dominicis diebus, aliisque sollemnioribus festis, communicent; sub pænis ad nostrum arbitrium.
6. Pro communicandis Ægrotis *S*acrum Viaticum non nisi a proprio Parocho deferatur, quum legitimum non adsit impedimentum, sub suspensionis pæna.
7. Detur prius solitum Campanæ signum, quando Viaticum est deferendum ad Infirmos; præcedentibus luminaribus, quorum quatuor saltem sint cum lanternis, deferatur, ac campanula, a Procuratore facienda. Parochus superpellicio sit indutus cum Pluviali, aut saltem *S*tola; subtus baldachinum, seu umbellam albi coloris, incedat; & majori quo decet decore,

decore, aut reverentia, Sacramentum deferat, Psalmos, & Hymnos, semper canendo. Interim Ecclesiæ Campanæ ad sonum letitiæ pulsentur; & in Ecclesiam reversus Parochus Populum ad S.Eucharistiæ associationem adhortetur, & indulgentias, a Summis Pontificibus concessas, publicet.

8. Post Paschæ octavam Parochi omnes deferant ad nos nomina illorum, qui eo tempore non communicaverint; curent autem, ut eodem tempore ægrotos, & carceribus mancipatos, hujus divini epuli participes faciant.

9. Pueri ad hoc Sacrum Convivium, sine proprii Parochi facultate, nullatenus accedere incipiãt; ipsos vero ab iisdem Parochis, erudiri, ac de cælestis hujus alimoniæ excellentia, & virtute, examinari, oportet.

10. Concubinarii, publicæ Meretrices, Usurarii manifesti, obstinati alearum lusores, blasphemi, excomunicati, interdicti, decimas non solventes, quum possint, & alii hujus generis, ac notorio scelere famosi, nisi constet ad bonam frugem suos mores reduxisse, modestis modis ab hac sacra mensa arceantur omnino.

11. Nemini liceat, absque nostra licentia expressa, neque etiam ex caussa publica, Sanctissimam Eucharistiam palam fidelibus adoranda exponere. Quæ sane prohibitio, & Parochos, & Regulares, juxta Sacræ Congregationis Decreta, ligat. Pro caussa vero privata permittitur solum ipsis tabernaculum aperire; ita ut hostia inde non extrahatur, nec possit videri.

12. Regulares omnes, nullo Ordine excepto, ac Seculares Clerici, quicunque, ad sollemnem processionem in festo Corporis Christi conveniant omnino; & quælibet Dominica tertia, aut alia cujuslibet mensis, per Ecclesiæ ambitum convenientibus omnibus Ecclesiasticis, Sacra Eucharistia deferatur.

13. Instituatur Confraternitas Sanctissimi Corporis Christi in unaquaque Parochia, si non est erecta; & Archiconfraternitati Romæ aggregetur.

14. Tempus paschale in hac nostra Diœcesi currit a Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in albis inclusive; quo tempore præcepto Communionis fideles omnes satisfaciant; justis tamen de caussis nobis reservamus hoc tempus prorogare.

15. Hostias consecrandas non deferant, nec mittant Sacristæ in manibus ad Altare, sed intra capsulas, sub pæna in Synodo D. Fili præscripta.

16. Clavem Arcæ, in qua est repositum Christi Corpus in sepulchro, in Cathedrali retineat Thesaurarius, in aliis vero Diœcesis locis Parochus, nullibi autem laicus, cujusvis sit dignitatis, sub pæna, quam D. Fili in sua Synodo taxavit.

17. Mulieres noctu sacrum Viaticum non associent sub pænis Interdicti ab Ecclesia.

18. Non fiat publica Sanctissimæ Eucharistiæ expositio, nisi saltem in illa Ecclesia, in qua exponitur, sint quinquaginta laici, sive mares sive fæminæ, & octo Ecclesiastici sacris vestibus induti.

19. Sepulchra in die Cœnæ Domini fiant tantum in illis Ecclesiis, in quibus

San-

Sanctissimum Sacramentum asservatur per totum anni circulum.

20. In sepulchris nihil profanum, superstitiosum, ridiculum, aut repraesentetur, aut fiat, sub poena interdicti Ecclesiarum, etiam Regularium.

CAPUT IV.

De Sacrosancto Missae Sacrificio.

1. NUllus Sacerdos audeat, vel ante auroram, vel post meridiem, celebrare, sub poenis ac censuris arbitrio nostro infligendis. Excipitur tamen sollemnis Missa Sacratissimae noctis Domini Nativitatis tantum.
2. Quilibet Beneficiatus die illius Sancti, cujus est titulus sui Beneficii, vel celebret, vel celebrare faciat, festum in eo Altari, sive Ecclesia, sui Beneficii; vel si Ecclesia diruta fuerit, in ea, in qua illud onus, seu beneficium, translatum fuerit.
3. Sub suspensionis poena nullus Sacerdos in privatis domibus, aut oratoriis, a nobis non confirmatis, vel suspensis, celebret, aut in Ecclesiis dirutis, & campestribus, ostio, & fenestris, carentibus.
4. In Altari tabella gloriae carente, vel cum missale sine canone, aut absque aliqua parte canonis, nemo celebret, sub suspensionis poena.
5. Foeminae ita prope Altare non accedant, ut ex earum aspectu turbari possit ullo modo Sacerdos in Missae celebratione.
6. Sub poenis ad nostrum arbitrium Sacrista nemini celebrare permittat, quando sollemnis Missa per nos cantatur.
7. In Missis privatis nullo modo Sacerdotes permittant Calicis absterfionem, & compositionem a ministro, sive clerico, fieri, qui missae inservierit; sed per seipsos id celebrantes faciant.
8. Missae in illis Ecclesiis, & Altaribus celebrandae sunt, quibus a piis disponentibus cum determinatione addictae fuerunt; prout Sacra Congregatio Concilii declaravit. In Missis adhibeantur candelae usque ad finem Missae duraturae, sub poenis ad nostrum arbitrium.
9. Sacerdotes ad celebrationem è Sacristia exeuntes, pileolum sub byreto non deferant, & byretum supra Altare nõ reponant, nec reponere faciãt.
10. Pueruli Missis non inserviant, nec discalceati, laceri, & homunciones; satis enim ab istis Mysterii altissimi venerationi detrahitur.
11. Sacerdotes omnes passim Missae ceremonias legant, & eas adamussim observare studeant, sub poenis ad nostrum arbitrium.
12. In Ara maxima nostrae Cathedralis, nemo Missae, etiam privatae, inserviat, qui non sit clericus, & superpellicio indutus.
13. Intra illorum Altarium septa, quae repagulis continentur, dum Missae sacrificium celebratur, mulieres non ingrediantur; sub poena Sacerdotibus celebrantibus, & non impedientibus, nobis bene visa.
14. Nullus Sacerdos celebret in Altari, sub quo scit defunctorum corpora esse sepulta, sub suspensionis poena ipso facto incurrenda.
15. Citra peccatum mortale nullus Sacerdos potest Eleemosinam manualem pro Missa celebranda accipere, eamque per alium celebrare, retenta sibi ejusdem Eleemosinae portione.

16. Sacerdos Missam celebrans citius tempore quadrantis horæ, ex communi D. D. sententia peccat mortaliter; citius vero tempore tertiæ partis horæ peccat venialiter.

17. In Sacristiis, Missarum tempore, quodlibet multiloquium, quivis rumor, quævis immodestia, prohibetur; & Sacristis sub pæna pecuniaria hoc summopere inculcatur.

18. In Missis, quæ cum paramentis nigris celebrantur, non est administranda Eucharistia, nec cum iisdem paramentis extra Missam.

19. In Altaribus, in quibus celebratur, sit Crux cum imagine Crucifixi; etiamsi Altare Christo, in Cruce confixo, sit dicatum.

20. Cum ex Sacrorum Rituum Congregatione sola brevitas non reputetur caussa rationabilis recedendi a Missa currente; ideo reprehensibiles sunt, qui caussa brevitatis dicunt Missam de requie.

21. Super Altare, in quo est expositum Sacramentum, debet collocari etiã Crux cum imagine Crucifixi, quando in eo celebratur.

22. Administratio Eucharistiæ fieri debet post sumptionem sanguinis a Sacerdote celebrante, non vero ante, vel post Missam; & secularibus, sive maribus, sive fæminis, intra Presbyterium non conferatur, sed tantum in Cancellis, quæ propterea ante Aram maximam sunt constituta.

23. Hortamur Populos, ut in diebus saltem dominicis in propria parochiali Ecclesia Missã audiãt, ut a proprio Parocho salutis monita audire possint.

24. In qualibet parochiali Ecclesia Dominicis, & festis diebus Missa a Parochis celebretur, quę pro Populo est applicanda, ut sacra Congregatio Concilii declaravit, & ad eam omnes Ecclesiastici convenire debent, tum ex nostræ Diœcesis consuetudine, tum ex cujuslibet Clerici, illi Ecclesiæ in prima sua ordinatione affixione.

25. Nemo in Altari, in quo nos in Pontificalibus celebravimus, poterit, absque nostra licentia, celebrare.

CAPUT V.

De Sacramento Pænitentiæ.

1. MUlierum, ac Puerorum, Confessiones in Ecclesiis tantum in confessionalibus audiantur, & quidem per ferreas, aut stamneas, non vero ligneas, crates, nec ante claram auroram, nec post Solis occasum. Contravenientes suspensionis a confessionibus audiẽdis pænam incurrẽt.

2. Mulierum ægrotantium confessiones, sub eadem suspensionis pæna, in domibus ipsarum, aperto semper cubiculi ostio, itaut tam mulier ipsa, quam confessarius, ab omnibus prospici queant, audiantur.

3. Confessariis omnibus, tam Secularibus, quam Regularibus, adimimus facultatem, & ademptam esse præsenti Constitutione sancimus, pro illa vice audiendi, & sacramentaliter absolvendi, illas personas, sive fæminas, sive mares, in confessione, cum quibus, utcunque, & quomodolibet, ipsi impudice versati, aut commaculati fuerint; Quod si Parochi in tam acre facinus, quod nefas est cogitare, inciderint, latæ sententiæ excomunicationem, nobis reservatam, incurrent.

4. Omnis

4. Omnis humani lucri suspicio procul a confessariis habeatur;unde sub pæna suspensionis ab audiendis confessionibus, eo ipso incurrenda, confessariis præcipitur tam *S*ecularibus, quam Regularibus, ne a Pænitentibus, caussa, & intuitu confessionis, quicquam petant, sive verbis, sive signis, vel exigant, ne sacramentalis quidem satisfactionis nomine, aut pro Missarum celebratione.
5. Quilibet confessarius pagellam casuum reservatorum, tam a *S*ede Apostolica, quam a nobis, semel saltem in mense legere non negligat, super quo illorum conscientiam oneramus; & in illis confessionalibus, in quibus præfata pagella affixa non est, confessiones audire non audeat. Non absolvat qui literas alienas a Tabellariis, vulgo *della Posta, o da Corrieri della Posta* sine illorum mandato, quibus diriguntur, audent accipere, vel occultare, vel aperire, sine nostra licentia; quod & aliis quoque confessariis prohibemus.
6. Caveant Confessarii, etiam Parochi, suis Pænitentibus limitare ad alios confessarios accessum, sub excomunicationis pæna.
7. Confessarii, qui sciunt suos pænitentes ab aliis confessariis fuisse in confessione sollicitatos, eos moneant de obligatione revelandi confessarium sollicitantem; & si non monuerint, suspensionis pęnam incurrent.
8. Curent Parochi, ut quotquot in sua Parochia ad annos discretionis pervenerint, conscientiam suam sacra Confessione repurgare non omittant; ac in suis festivis exhortationibus ad Populum frequenter hujus *S*acramenti necessitatem omnibus inculcent.
9. Nullas, & invalidas declaramus confessiones, quas confessarii excipiunt elapso tempore, pro quo illis facultas ad confessiones audiendas a nobis concessa est.
10. *S*i qui Parochi, vel OEconomi, animarum curam prius habitam quacunque ex caussa exercere destiterint, nisi novam a nobis confessiones audiendi facultatem obtinuerint, *S*acramentum Pænitentiæ nullatenus administrare valebunt.
11. Regulares Confessarii munus exercere volentes, nisi nobis prius offerant *S*uperiorum suorum ad hoc munus obeundum necessariam facultatem in scriptis, ad examen non admittantur.
12. Quicunque Confessarii prorogationem non obtinebunt, nisi fidem offerent, se per dies decem exercitiis spiritualibus vacasse, quod etiam pro Regularibus observabitur.
13. Confessiones in Ecclesiis in habitu Chorali excipiantur, etiam si pro Vitis extra confessionale audiantur.
14. Nullus Confessarius, cujuscunque privilegii prætextu, a reservatis, sive *S*ummo Pontifici, sive nobis, absolvere audeat, sub pæna suspensionis a Confessionibus audiendis ipso facto, & absque alia declaratione, incurrenda.
15. *S*i alicui Pænitenti ab uno Confessario absolutio fuit denegata, Confessarius alter, ad quem Pænitens accesserit, examinet intra se caussam diligenter, & non absolvat, nisi mature, & certe compererit, injuste absolutionem fuisse illi denegatam.

16.

16. Penitentes non accedant ad confessarium cum armis, neque cum illis, quæ dicunt ad personæ ornatum spectare; eosque confessarii non admittant.
17. Neque admittant Mulieres nuda bracchia, pectus, & scapulas, deferentes, aut in capitibus habentes byrethos, quos in Ecclesia retinere non licet.
18. Paschale præceptum adimplentes Pænitentes proprio Parocho confiteantur, aut saltem ab eodem, vel a nobis, licentiam petant alium adeundi confessarium, ut S. Congregatio declaravit.
19. Peccatores publici, & præcipue Concubinarii, non absolvantur, nisi dimissa concubina, nec etiam occulti propter liberam, non necessariam, proximam peccandi occasionem, & qui a Populo Concubinarius putatur, quamvis revera non sit, nisi scandalum tollat, neque absolvatur.
20. Quando Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministratur, vel quando Missa celebratur, confessiones, quamvis brevissimæ, nec sub prætextu reconcillationis, a celebrante, vel ministrante, recipiantur.
21. Ne Penitentium peccata a circumstantibus audiantur, confessarii eos, qui confiteri volunt, longe a confessionalibus expectare faciant; & illoru m qui noluerint, confessiones pro illa vice non excipiant.
22. Non absolvant Confessarii Pænitentes, qui nesciunt mysteria, quæ sunt credenda explicite, sub necessitate medii; & actus fidei, spei, charitatis, & doloris, elicere ignorant; sub pænis nobis bene visis.
23. Si Confessarius sciat peccatum, quod Pænitens cum illo non confitetur, & sciat idem alteri Confessario in Sacramentali confessione non asseruisse, Pænitentem de illo interroget, ac pro sua conscientia se gerat.
24. Confessarii Pænitentes non interrogent de eo, quod forsan ignorant; hac enim imprudentia potissimum fit, ut ibi peccata Pænitentes discant, ubi peccata deflere debuissent.
25. Cum recidivis, habitualiter peccantibus, proximam occasionem non relinquentibus, Confessarii conniventiam non faciant; sed serio advertant quando, quibus, & quomodo, absolutio sit conferenda, neganda, vel differenda.

C A P V T. VI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

1. IN Ecclesia, & quantum fieri potest, prope Altare, in quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asservatur, a cornu Evangelii, in loco visibili, & decenti, sacrum Oleum custodiatur, & cum inscriptione in exteriori parte: *Oleum Infirmorum*; fores autem sint firmiter obseratæ. Intus vero asservetur in vase argenteo, vel stamneo, cum gossypio, seu bombace.
2. Intra thecam, seu bursam, sericam violacei coloris vas ipsum ad Infirmos deducatur; & theca ad collum pendeat, quum ob imminens mortis periculum simul cum Sancta Eucharistia deferri contigerit.
3. Solus Sacerdos est hujus Sacramenti minister, & ideo nemo non Sacerdos in hoc se ingerat, sub pænis in sacris Canonibus constitutis; Administre-

miniſtretur cum Superpellicio, & Stola, a ſolis Parochis, & ipſis legitime impeditis, ab alio Sacerdote, de ipſorum tamen licentia.

4. Partes goſsypii, Sacro Oleo delibutæ, poſtquam infirmus unctus fuerit, in domo Infirmi non remaneant, ſed ad Eccleſiam deferantur, ut poſtquã combuſtæ fuerint, ipſarum cineres Sacrario immittantur.

5. Quacunque hora, etiam noctis tempore, vocati Parochi fuerint ad hujus Sacramenti miniſtrationem, nulla interpoſita mora, ſub ſuſpenſionis pœna, ad illud miniſtrandum accedere teneantur.

6. Morte damnatis, pugnam ingredientibus, navigationem ſuſcepturis, perpetuo furioſis, & amentibus, mulieribus in actuali partu laborantibus; pueris rationis uſu carentibus, adultis excomunicatis, vel in manifeſto mortali degentibus, hoc Sacramentum nullatenus adminiſtretur.

7. Parochi ſæpius Infirmos viſitent ſuæ Parochiæ, ut cognoſcant, quando eis hoc Sacramentum miniſtrare debeant, ne aliter eveniat, quod vel ſine neceſſitate miniſtretur, vel ſine Sacramento Infirmi moriantur; quod utrunque, pœnis ad noſtrum arbitrium, contra ipſos punientur.

8. Ubi neceſſitas nõ urget nullo modo adminiſtrent Parochi hoc Sacramentum præſente Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ad irreverentiam evitandam; unde prius Sanctiſſimam Euchariſtiam ad Eccleſiam deferãt, & deinde ad Infirmos extremam Unctionem iisdem miniſtraturi accedãt.

9. Miniſtretur hoc Sacramentum Infirmis, dũ rationis ſunt compotes; quod ſi Parochi culpa ſecus evenerit, pœna decem librarum ceræ albæ elaboratæ punietur.

10. In eadem infirmitate, etſi diuturna, Sacramentum hoc ſemel adminiſtretur. Et ſi illa ceſſaverit, & alia ſupervenerit, iterari abſque dubio poterit.

11. Regulares non habentes curam animarum ſolis Religioſis ſuorum Ordinum, & illis, qui ſunt in Monaſterio actualiter de familia, hoc Sacramẽtum miniſtrare poſſunt; ſi alios ungere præſumpſerint, excomunicationem, Sedi Apoſtolicæ reſervatam, ipſo facto incurrent.

12. Inſtruant Parochi Infirmos de hujus Sacramenti efficacia, & de ejuſdem effectibus, antequam ipſos ungant; eoſque excitare non negligant ad actus fidei, ſpei, & charitatis, & contritionis.

13. Ultimus cujuſcunque loci hujus Diœceſis Sacerdos feria quinta in Cœna Domini ſacra Olea recepturus ad noſtram Cathedralem accedat, portans ſacra Vaſcula, ſaltem ſtamnea, munda, capacia, & non rimoſa, in arcula ſera ferrea obſerata, quæ Oleorum diſtinctam inſcriptionem in operculis a parte exteriori habeant. Is autem, quum ſacra defert Olea, Superpellicio, & Stola, ſit indutus, cui alter lumen in lanterna deferat; pedibus in locum ingrediatur, ubi omnes de Clero eum excipiant, & proceſſionaliter ad Eccleſiam comitentur.

14. Sacris Oleis novis receptis, ſtatim Parochi vetera comburant in lampade, quæ ante Sanctiſſimam Euchariſtiam ardet, & goſsypium in Sacrario plane exuratur.

15. Demum omnia, quæ in Rituali Romano de hoc Sacramento adminiſtrando continentur, Parochi exequantur, ſub pœnis nobis bene viſis.

L CA-

CAPUT VII.

De Sacramento Ordinis.

1. AD Ordines minores, etiam, ad primam Clericalem Tonfuram, nemo admittatur, qui per decem dies fpiritualia exercitia, fub idoneo fpiritus Magiftro, à nobis affignando, in loco feparato, non peregerit.
2. Ad Ordines vero facros nec etiam admittetur, qui ultra exercitia facienda in Ordinis fufceptione, annualia exercitia non fecerit.
3. *S*cientes Ordinandorum legitimum aliquod impedimentum, omnino revelare teneantur, fub excomunicationis pœna.
4. Ordinandi ante menfem ad noftrum Epifcopium accedant, ut nobis fe offerant abque alia, quam fuorum meritorum, comendatione; & poftquam a noftra Curia neceffaria documenta opportuno tempore recepta fuerint, recto ordine a nobis, & a noftris Examinatoribus, examini fubjicientur.
5. *S*uppofitorum patrimoniorum fraudes omnino tollantur; ideo tam conftituens patrimonium, quam ille in cujus gratiam conftituitur, jurare teneantur, patrimonium effe verum, non fictum, nec fimulatum, vel pactione alicujus reftitutionis, feu retroceffionis bonorum, obnoxium, quo juramento non præftito, perinde fit ac fi nullum patrimonium fuerit conftitutum. Qui cum fraudolento patrimonio ordinati fuerint, ipfo facto fufpenfionem, vel excomunicationem refpective, nobis refervatam, incurrent.
6. Ordinati ad titulum Patrimonii, jurabunt infuper, fe patrimonium, nec in totum, nec in partem, alienaturos, ceffuros, vel in dotem confanguineis, aut affinibus, daturos; vel aliud pro alio fubrogaturos, abfque noftra facultate, fub pœnis tam juris, quam noftri arbitrij.
7. Quum ad primam Tonfuram quis afpirat, fcripturas, patrimonium prædictum, vel æquivalens beneficium, concernentes, omnino perfectas proferre debet; & ante fufceptionem *S*ubdiaconatus, Diaconatus, & *S*acerdotii, authentica afferat documenta, indicantia poffeffionem jam ceptam, atque fructuum ipfius effectivam in annis fingulis perceptionem.
8. Cum ex præteritis *S*ynodis hujus diœcéfis patrimonium trecentorum ducatorum debeat effe proprietatis,& fructuum ducatorum triginta annuorum; volumus ut infra hanc fummam conftitui non poffit; nec etiam fupra, quando qualitas perfonæ juxta proportionem fanguinis, domus, & fratrum fuorum portionis, id non exegerit.
9. Promovendi ad minores Ordines fidem Præceptoris juratam habere debent, non folum de habilitate, fed etiam de continuatione gymnafio, feu literarum ftudio, præftita.
10. Canere gregoriano cantu omnino difcant omnes Clerici, & quum voluerint ad minores, vel majores Ordines, promoveri, juratam fidem habere debebunt de hujufcemodi cantus peritia.
11. Bulla, quæ incipit *Speculatores*, fanctæ mem. Innocentii XII. fervetur omnino in omnibus, & fingulis partibus fuis; itaut nemo alienæ Diœcefis, nec ficto familiaritatis, nec falfo beneficii, titulo, nec fine proprii Ordinarii teftimonialibus literis ad hunc effectum, ordinetur.

12. Antequam Clericali tonsura initientur, licentiam habitus Ecclesiastici deferendi habere debeant omnes promovendi; quam tamen non habebunt, nisi requisita habere constiterit.

13. Requisita enumerantur: Testimonium scilicet a Curia laica, non esse inquisitos, & nec obnoxios Universitatis ratiociniis; testimonium insuper de ætate, & de legitimis natalibus, a proprio Parocho; testimonium quoque, quod alios fratres habeant, qui universalia pondera subeant.

14. In promotione cujuslibet ad primam tonsuram in nostræ Cathedralis valvis, & propriæ etiam Parochiæ, affigatur edictum, in quo bona pro patrimonio assignata sint descripta, & nomina insuper, & cognomina, donantium sint posita, ad hoc ut veritas patrimoniorum magis elucescat.

15. Magistratus municipales locorum si in patrimoniis assignandis fraudatos se intelligant, compareant coram nobis, quia, juxta literarum tenorem Sacræ Congregationis, de justitia providebitur.

16. Literas dimissorias ad primam Tonsuram, aut ad minores, vel majores Ordines, nobis absentibus, nemini noster Vicarius generalis, absque speciali facultate a nobis habita, expediat.

17. Quicunque dederit, vel pecuniam, aut aliam rem pretio estimabilem, vel tacite, vel expresse, aut quomodolibet promiserit, immediate, vel mediate, ad hoc ut ipse, vel Filius suus, Frater, consanguineus, affinis, aut amicus, aut quivis alius, prima tonsura, vel minoribus, aut majoribus, Ordinibus insigniatur, tam is, qui tradidit, quam qui acceperit, secuto effectu, excomunicationem latæ sententiæ, Sedi Apostolicæ reservatam, incurrent.

18. Ab Ordinum susceptione arcendi sunt illegitimi, Neophiti, corpore vitiati, insigniter deformes, epileptici, amentes, servi infames, usurarii, perjuri, criminosi, sollemniter pænitentes, ebriosi, abstemii, impudici, minores natu, rudes, & ignari, lapsi in fide, peregrini, & ignoti, bigami, irregulares, censuris ligati, ratiociniis obligati, non confirmati, conjugati, energumeni, milites, non examinati, & probati, Judices in Criminalibus, & promoti per saltum.

19. Principum literas commendatitias non exhibeant nobis, qui ad Ordines promoveri volunt; & si exhibuerint, ex hoc præsertim repellentur.

20. Ad Sacerdotium promoti Missam non celebrent, nisi prius a Canonico Cæremoniarum Magistro examinati, & approbati fuerint, & a nobis facultatem celebrandi, gratis donandam, non obtinuerint. Interim confirmamus cætera hic non expressa, quæ in Synodis D. Fili, & D. Diani continentur.

CAPUT VIII.
De Sacramento Matrimonii.

1. Parochi nunquam matrimonii Sacramento celebrando assistant, nisi diurnis, & matutinis, tantum horis; nec nisi per pænitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta præparatos ad matrimonium contrahendum Sponsos admittant; quibus post Missam, in eorum præsentia celebratam, benedictionem etiam dare teneantur.

2. De-

2. Debitæ denunciationes non fiant, nobis, vel Vicario nostro generali, inconsultis; & nisi utriusque Sponsi sedulo voluntas prius perquiratur, & plene liber in iisdem assensus comperiatur.

3. Tam verum impedimentum non revelantes, quam falsum malitiose opponentes, excomunicationis pœnam ipso facto, & nobis reservatam, incurrent.

4. Nemo non confirmatus, & qui Confirmationis fidem non præsentaverit, ad Matrimonium contrahendum, admittatur.

5. Examinentur contrahentes a Parochis de principalioribus fidei rudimentis, nempe Oratione dominica, Salutatione angelica, Symbolo Apostolorum, Præceptis Decalogi, & Ecclesiæ Sacramentorum numero, & de Sanctissimæ Trinitatis, & Unitatis Dei, ac Incarnationis Mysteriis, & futuræ vitæ præmiis, & pœnis; in quibus si imperiti inveniantur, contrahere illis omnino prohibeatur. Parochi contrafacientes pœnis ad nostrum arbitrium punientur.

6. Eadem die, qua matrimonium celebratum fuerit, Parochus accurate in libro describat nomina, & cognomina conjugum, ac testium, qui præsentes fuerunt, ac eorum Patriam.

7. Sponsi, qui matrimonium sive consumaverint, antequam contraxerint, sive per frequentationem domus Sponsæ, indebitæ conversationis suspicionem dederint, pœnis, a jure permissis, juxta Synodum D. Fili, punientur. Parochi vero fidem juramento roboratam super hac re in actis exhibeant.

8. Nemo uxoratus, sub excomunicationis pœna, vel ab Uxore Vir, vel Uxor a Viro, separare se audeat, & quoad habitationem, & quoad Thorum absque legitima caussa, prius a nobis examinanda, & approbanda.

9. Parochi Adulteros, & Adulteras omnes suæ Parochiæ, sub suspensionis pœna, nobis revelare teneantur, ad hoc ut contra illos opportuna remedia adhibeamus.

10. Nemo nisi Parochus, vel alius Presbyter, de nostra licentia tamen, ad hoc Sacramentum assistere possit; & in actu conjunctionis matrimonii duo saltem testes fide digni præsentes adsint.

11. Decreta Sanctissimę Romanæ, & universalis Inquisitionis, edita anno 1670. serventur, tam in Matrimoniis exterorum, quam Civium; & pro laboribus in Curia solvendis taxa Innocentiana servetur.

12. Nisi a proprio Parocho contrahentium tribus diebus dominicis, aut festivis, in utriusque sponsi Parochia inter Missarum sollemnia ter matrimonium denuncietur, nullum matrimonium contrahi posse declaramus.

13. Fiant denuo denunciationes, si post illas factas, duo menses elapsi fuerint, & ab ultima denunciatione nōnisi elapso vigintiquatuor horarum spatio.

14. Pro matrimonio contrahendo ætas Marum sit annorum quatuordecim cōpleta, & fœminarum duodecim etiam completa. Sponsis senibus, vel viduis, irrisiones non fiant, nec poma, aut mala aurea, ad injuriam immittantur.

15. Adventus, & Quadragesimæ, tempore non est prohibitum matrimonium,

sed

sed solummodo nuptiæ; hoc est sollemnitas Nuptiarum, Sponsæ traductio, & nuptiale convivium.

16. Contrahentes matrimonia clandestina, vel matrimonia in gradu prohibito scienter, præter pænas a jure statutas, excomunicationem quoque latæ sententiæ, & sine ulla alia declaratione, incurrent.

17. Non dissolvantur sponsalia, legitime contracta, absque caussa, a Curia nostra legitime probanda, etiamsi mutuo sponsi conveniant.

18. In examinandis testibus a Cancellario, & non ab alio, observentur ad unguem instructiones S. Officii pro libertate sponsorum.

19. Si cum nostra licentia aliquando matrimonium contrahatur domi, benedictionem sponsi ante mensem in Ecclesia omnino recipiant.

20. Quæ pro matrimonii Sacramento in sua Synodo D. Fili statuit, & in suæ D. Diani, confirmamus.

CAPUT IX.
De Bonis Ecclesiæ, illorumque Alienatione, Occupatione, & Damnis.

1. INnovamus excomunicationis pænam contra occupantes quomodolibet bona, sive stabilia, sive mobilia, etiam infimi valoris, Ecclesiarum nostrarum; & contra solvere nolentes pertinaciter census Ecclesiarum, Monasteriorum, & mensæ Episcopalis, vel Missas, vel alia Ecclesiis debita, si ter admoniti, non paruerint.

2. Nullus Beneficiatus, vel loci pii Procurator, vel Parochus, audeat bona, ad suas respective Ecclesias pertinentia, quomodocunque, sine nostra licentia, & respectu eorum, quæ indigent assensu apostolico, sine ejus interpetratione, caussa prius cognita, ac bene perspecta ab executoribus deputatis a S. Sede, alienare; & in Emphiteusim dare, sub sacrorum Canonum pænis.

3. Locationes a Beneficiatis, Parochis, & Procur atoribus, propriis propinquis intra tertium gradum, sive in Emphiteusim, sive ad tempus, factæ, etiam per suppositas personas, nullæ, & irritæ declarantur; Locantes vero pænis ad nostrum arbitrium subjiciuntur.

4. Sub pæna suspensionis, & respective excomunicationis, nemo mobilia alicujus Ecclesiæ dare audeat.

5. Quicunque sciunt, vel scient, bona alicujus Ecclesiæ ab aliquo esse occupata, vel injuste detenta, etiam ad Episcopalem mensam spectantia, sub excomunicationis pæna ipso facto incurrenda, & nobis reservata, infra decem dies ab horum publicatione, vel a die scientiæ ipsorum, nobis omnino revelare teneantur.

6. Damnum inferre, vel furtum facere, in prædiis Ecclesiarum, sub excomunicationis pæna, cujus etiam absolutionem nobis reservamus, omnino prohibemus.

7. Lapides marmoreos, columnas, tegulas, tabulas, aliaque ligna, aliosque lapides, & alia hujusmodi, ad Ecclesias spectantia, quicunque possident, restituere teneantur; & qui alienaverint, pretium restituant, sub pæna interdicti ab Ecclesia.

8. Jura Ecclesiarum temere impugnantes, vel denegantes, vel occupantes, sicut etiam scripturas, ab Ecclesiarum ingressu amovebuntur.

9. Adsit semper caussa necessitatis, aut utilitatis, & insuper non desit sollemnitatis forma, quum bona Ecclesiæ alienantur; sive id fiat assensu apostolico, sive nostro. Approbamus receptam consuetudinem in nostra Diœcesi, quod res modici valoris, juxta Cap. *terrulas*, intelligantur, quæ non excedunt vigintiquinque scuta aurea, quæ constituunt scuta triginta septem monetæ romanæ circiter.

10. In quacunque alienatione ponatur prius edictum contra interesse prætendentes, examinentur testes, & fiat a nostro generali Vicario Decretum; quod expediat.

11. In locandis bonis stabilibus, sive eorum fructibus vendendis, fiant semper subhastationes, & candela accendatur, & plus offerens, cæteris paribus, præferatur.

12. Notarii infra mensem teneantur legata pia revelare, præcipue si Missarum onera contineant, sub excomunicationis pœna.

13. Omnes Parochi, Canonici, & piorum locorum Procuratores, teneantur inventarium facere de mobilibus, & plateam pro stabilibus suæ Ecclesiæ; & si non fecerint, quod nos præcepimus, multo ab hinc tempore, pœnis ad nostrum arbitrium punientur.

14. Parochorum, Canonicorum, & Procuratorum, hæredes teneantur hæc inventaria, & plateas successoribus tradere, sub excomunicationis pœna.

15. Construatur Archivum a nostro Capitulo, & a Collegiatis omnibus, ad mentem *Ss.* D. N. Benedicti XIII. in suo Concilio Romano; & nos etiam pro nostra Cathedrali exemplum dabimus.

C A P U T X.
De Ecclesiarum, Rerum, & Personarum Ecclesiasticarum, Immunitate.

1. Occidentes, mutilantes, vel vulnerantes, quemlibet, aut quomodolibet graviter percutientes, vel dearmantes, in Ecclesiis, Cappellis, aut publicis Oratoriis, tam Secularium, quam Regularium, vel in Sacristiis, cœmeteriis, campanilibus, clausuris, dormitoriis, gradibus Ecclesiarum, vel aliis locis immunibus, in excomunicationis latæ sententiæ pœnam, nobis tantummodo reservatam, quum id privata auctoritate faciunt, incidant.

2. Percutientes aliquem ex Ministris Curiæ Episcopalis, intuitu Officii, aut quomodolibet in eum vim inferentes, excomunicatione etiam afficiatur.

3. Cadavera occisorum, Ecclesiasticæ sepulturæ jam tradita, laicalis Curiæ Ministri nullo modo, ad capiendum delictum in genere, exhumari, aut circa eadem, licet nondum sepulta, intra Ecclesiam, aliumve locum immunem, recognitionem facere, intenteut; nisi prius licentiam nostram in scriptis impetraverint, sub pœna excomunicationis ipso jure incurrenda.

4. Qui publica auctoritate, & prætextu Officii Ecclesiasticas personas, sive directe,

directe, sive indirecte, ad forum seculare trahere, temere tentaverint, vel eorum franchigias minuere, denegare, & in dubium ausu temerario ponere præsumpserint; vel Ecclesiasticorum intuitu, ipsorum laicos consanguineos, vel affines, vexare, perturbare, persequi, ausi fuerint, excomunicationis pænam nobis reservatam incurrant omnino; a qua absolvi nequeant, nisi prius damnorum omnium restitutione facta iis, quibus damna irrogantur.

5. Laicalis Curiæ Ministri quicunque, sive superiores, sive infimi, ab immunitate Ecclesiastica violanda omnino se abstineant; & quæ circa eam per fel. rec. Gregorii XIV. Bullam, & per alteram novissimam constitutionem Ss. D. N. Benedicti XIII., sancita sunt, & declarata, christiane observent, ne pænas, & censuras in iisdem fulminatas, incurrant.

6. In Ecclesiis non morentur contumaces, banniti, facinorosi, & alii hujus generis, qui confugio abutuntur; Ecclesiarum Rectores, Procuratores, vel Vicarii foranei, qui id permiserint, a nobis punientur. Et si illis ignorantibus, in Ecclesias se intruserint, nos certiores faciant infra tres dies; nec occasione confugii aliquis in Ecclesia habitare simul præsumat cum Uxore, filiis, & bonis. Et de hoc nobis etiam de prædictis relatio fiat.

7. Ecclesiarum violatores, etiam effectu non secuto, & etiam si Ecclesiæ violatæ satisfecerint, absolvi non possunt, nisi a Summo Pontifice, vel a S. Congregatione Immunitatis, nec etiam Jubilei tempore.

8. Eādem excomunicationem incurrent, qui reos in sacris locis examināt, citant, res, bona, arma, exequuntur, auferunt, vel extrahunt, vel pro illis perquirendis vim inferunt, victum prohibent, aut obsidionem ponunt, & alia quæcunque judicalia facere audent.

9. Nemo prætendat, se Ecclesiæ restituendum, quia blandis verbis suasus fuerit, ut ab illa exiret; quum per declarationem s. mem. Clementis XI. salvo conducto oporteat ut sit munitus, ad hoc, ut restitutionem Ecclesiæ, a qua exivit, prætendere legitime possit.

10. Confugientes ad Ecclesias ob crimina excepta, possunt, a nostra Curia armata manu, etiam cum fractura ostii Conventus Regularium, extrahi; ex Sacra Congregatione.

11. Prohibentes directe, vel indirecte, sive auctoritate, sive violentia, sive consilio, Ecclesiis, sive Ecclesiasticis, vendere, cedere, donare, extrahere, transportare, bona, vel fructus, vel mobilia, aut quascunque res Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum; excomunicationem latæ sententiæ incurrent.

12. Neque eis liceat, sub prætextu, quod donationes, cessiones, aut venditiones, Ecclesiasticis factæ, sint fraudolentæ, fictitiæ, & simulatæ, bona ab Ecclesiasticis possessa laicalibus impositionibus subjicere, sub eadem excomunicationis pæna; sed ad nos recurrant, ut secundum jura, & consuetudines, provideamus.

13. Ut autem melius possimus præfata bona defendere, & fraudes omnino vitare, volumus, quod in emptionibus, cessionibus, & donationibus, Ecclesiasticorum, noster assensus requiratur, & habeatur, gratis omnino dandus.

14. Qui hujuſmodi, vel alterius generis, fraudes commiſerit in Univerſitatis, vel quod idem eſt, Pauperum, præjudicium, pæcuniariis pænis, cujuſcunque conditionis ſit Eccleſiaſticus, omnino punietur.

15. Qui Eccleſiaſticum de nocte ambulantem deprehenderit, qui ſe Eccleſiaſticum eſſe dicat, & illum talem eſſe vere cognoſcat, ad carceres laicas non deducat, ſed ad Vicarium noſtrum generalem, vel foraneum, ut eum agnoſcat, & illi tradat; ſub excomunicationis pæna aliter facientibus.

16. Ad ſeculare forum trahentes judicialiter perſonas Eccleſiæ ſervitio mancipatas, quæ ſint in tabella deſcriptæ, & laicæ non ſint, vel noſtræ Curiæ Miniſtros, famulos noſtros, aut familiares, etſi laici ſint, alioſque, tam de jure, quam de conſuetudine, noſtræ jurisdictioni ſubjectos, pro Civilibus, & Criminalibus cauſſis; ipſo facto ſint excomunicati; prout in Synodis noſtrorum Anteceſſorum continetur, & hactenus ſine contradictione obſervatum fuit.

17. Eccleſiaſticas perſonas, cognitas ut Eccleſiaſticas, etiam in fraganti crimine captas, retinentes, & ad noſtram Curiam non remittentes, ſive contra eas proceſſus formantes, ſive expreſſo, ſive ſuppreſſo Clericatus titulo, ad finem eos ad ſeculare forum trahendi, ipſo facto pariter excomunicati ſint.

18. In negociationibus, quæ Eccleſiaſticis ſunt illicitæ, nolumus iis immunitatem defendere; non enim eſt conveniens, ut privilegio in peccato fruantur.

19. Clerici in minoribus exiſtentes, & qui ſub patria poteſtate vivunt, non gaudeant immunitate pro virili eorum portione; ut ſacra Congregatio Immunitatis declaravit.

20. Contra confugio abutentes remediis nobis a S. Congregatione Immunitatis præſtitis utemur; ut vere oſtendamus, Eccleſias non eſſe ſceleſtium hominum, illorumque ſcelerum, receptacula, ſed Pænitentium, qui peccata deflent, & non committunt.

C A P U T XI.

De Seminario.

1. Seminarium, Deo Auctore, a D. Fili, in hac noſtra Civitate erectum, & a nobis, Deo etiam inſpirante, ac protegente, regulis datis, Beneficiis adjunctis, Magiſtrorum, & Convictorum numero adaucto, firmatum; ut meliora ſemper in dies profectus ſpecimina in virtutibus, & ſcientiis, exhibeat, regulas a nobis conſtitutas, tam in generali, quam in particulari, omnino ſervet; quas proinde hic etiam confirmamus, & pœnas in iiſdem contentas novo robore ſtabilimus.

2. Et quum Ss. D. N. Benedictus XIII. pro Seminariis, vel inſtituendis, vel reſtituendis, vel conſervandis, novam Congregationem in Urbe inſtituerit, in qua omnia, quæ ad Seminarios ſpectant, examinari, tractari, atque decidi, habeant; ea propter, ad Sanctitatis ſuæ mentem, præcipimus, ut Seminarii Ædes tales ſint, ut in eis convenienter habitate Alumni, & Præceptores, poſſint. Unde de nova habitatione pro Seminario provideatur; & eo vel magis, quod præſens habitatio mutuo habeatur.

3. Quo-

3. Quotidie pro medietate horæ mentalis Oratio ab omnibus in communi fiat, & Officium B. Mariæ Virginis, ac Rosarium ejusdem recitetu r, & omnes quotidie sancto Sacrificio Missæ intersint.
4. Taxa imposita beneficiis, & cappellis Diœcesis, pro Seminario, omnino solvatur.
5. Quotannis a Seminarii Ministris ratio administrationis redditúum, ad illud pertinentium, exigatur ad formam S. Concilii Tridentini; sicut etiam infra annum, ut hactenus fuit observatum.
6. Alumni, qui in Seminario recipiuntur, sint pauperes, Diœcesani, legitimi, & Naturales, bonæ indolis, supra duodecimum, & infra decimum octavum annum;& cautionem ad tenorem Synodi D. Filii præstare teneantur.
7. Cum nostra licentia recipiantur,& secum habeant necessaria ad vestitum, & ad lectum, & libros pro devotione, & pro studio.
8. Convictores similes habeant cum Alumnis vestes, nimirum violaceas interiores, & superiores nigras.
9. Festivis diebus omnibus Choro intersint, & ferialibus diebus Alumni per turnum Missis inserviant.
10. In ingressu generalem Confessionem faciant,& recipiantur cum sollemnitate usque modo observata.
11. Examen pro omnibus fiat semel in anno, die nobis assigando, & Examinatoribus nobis bene visis, vocatis.
12. Rector suas observare curet regulas, ut Clericis magis exemplo, quam eloquio, prodesse possit.
13. Procurator satagat rem domesticam bene agere, & Clericorum nutritioni, juxta taxam a nobis datam, non deficere.
14. Extraneos ad comedendum, vel ad dormiendum, in Seminario non admittant, sine licentia a nobis habita, sub pænis ad nostrum arbitrium.
15. Omnes ad salutationis angelicæ sonum sint intra Seminarium, etiam Rector, & Procurator, ac Magistri; excipimus casum, in quo sit caussa a nobis probanda.
16. Observentur divisiones Clericorum secundum ætatem, vulgo *Camerate*; itaut illi qui unius sint classis, cum aliis alterius classis alloqui, sine licentia, non possint.
17. Unaquæque Classis suum habeat Præfectum, cujus sit muneris illa agere, quæ in regulis continentur.
18. Quælibet etiam Classis suum habeat Sanctum Protectorem, ejusque festum sollemniter celebrare non desinat.
19. In Choro modesti sint, oculos ad terram fixos habentes, & neminem alloquantur.
20. Soli non deambulent, nec etiam bini extra portas Civitatis, sed omnes simul;& ad Episcopium quum accedere voluerint,cum licẽtia id faciant.

CAPUT XII.

De Laicorum Confraternitatibus.

1. Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenti Sodalitatem, quam nos nuper ad formam Constitutionis Clemētis VIII., quæ incipit: *Quæcunque* 115, confirmavimus, tanquam primariam in hac nostra Civitate cognoscentes, eandem quoque legibus munire, instructionibus dirigere, & privilegiis exornare, non omisimus; ita tamen, ut videatur, eandem ad Sacratissimi Corporis Christi venerationem, non vero ad mundani fastus vanitatem, erectam antea fuisse, & modo conservandam, ac protegendam esse.
2. Qui ex familiis enumeratis ortus ad Confraternitatem est admittendus, sit saltem duodecim annorum, & cum sollemnitate a Patre Spirituali coram Priore, & cæteris Confratribus, in Cappella Venerabilis admittatur.
3. Confratres Baldacchini hastas deferre teneantur in die Corporis Christi, & per totam octavam, per omnes Dominicas tertias cujuslibet mensis, & quum Viaticum ad aliquem ex Confratribus defertur.
4. In illis diebus in quibus hastas de mane deferre habent, conveniant antea in Sanctissimi Sacramenti Sacello, & ibidem alternatim ejusdem Officium parvulum canere, vel recitare, debeant.
5. Ipsorum insignia sint, fascias sericas, latitudinis unius palmæ cum dimidio, per humerum usque ad femora, albi coloris, in quibus sit Sanctissimi Sacramenti imago, uti stegma Confraternitatis deferre, & vestes lineas albas quisque de proprio habere debeat.
6. Quum fit dotis extractio in die Corporis Christi per nostrum Vicarium generalem, & per Procuratorem Cappellæ, qui a nobis eligitur, & nobis rationem reddit; ad honorem hujusmodi extractioni Confratres assistant.
7. Electio Prioris fiat in Sacristia nostræ Cathedralis coram nostro Vicario generali, qui sit Pater Spiritualis Confraternitatis, & ab eodem confirmetur; electio vero, & confirmatio scribatur in libro per Secretarium a Confratribus eligendum.
8. Cōfraternitates autem duæ alteræ, nimirum Sanctissimæ Virginis ab Angelo salutatæ in Ecclesia Sanctæ Catherinæ existens; & Sancti Francisci Xaverii in propria Ecclesia posita, ita sint paris conditionis, antiquitatis, ac prærogativæ, ut nemini ipsarum prioritatem tribuere voluerimus. Proinde per easdem præcedentia habeatur per vices, itaut una alteri nec superior, nec inferior, dici possit.
9. Confratres Sancti Francisci Xaverii vestes lineas albas deferant, & Muzzettam nigri coloris, absque Caputio, in qua ejusdem Sancti sit imago affixa. Illi vero santissimæ Virginis Mariæ, ab Angelo salutatæ, vestes etiam lineas albas habeant, & Muzzettam cærulei coloris, absque Caputio, in qua imago ejusdem Virginis, ab Angelo salutatæ, sit impressa.
10. Hæc autem insignia nemini liceat sub pœnis nobis bene visis, immutare;

re; quemadmodum nec novas constitutiones facere, quæ sint contrariæ illis, quæ a nobis fuerunt approbatæ.

11. Officiales ipsarum quolibet semestre eligantur coram nobis, vel nostro Vicario generali; quemadmodum, & Cappellani, qui a nobis sunt confirmandi.

12. Eadem in Confraternitatibus omnibus, sive Congregationibus, Diœcesis observentur, sub pœnis ad nostrum arbitrium.

13. Procuratores de eorum administratione quotannis nobis rationem reddere teneantur; & expensas valoris excedentis quinque aureos, nobis inconsultis, facere non possint.

14. Non recipiantur inter Sodales publici peccatores, Concubinarii, Usurarii, Blasphemi, Aleatores, Perjuri, Ebriosi, & Fidei rudimenta ignorantes.

15. Ejiciantur, qui de alearum ludo ter admoniti, non se resipuerint.

16. Obedientiam Patri spirituali, & Præfecto, exhibeant; & si quis inobediens comperiatur, statim expellatur, nec sine nostra licentia iterum admittatur.

17. Præcedentia ab antiquitate Confraternitatum desumatur: & hoc tum in processionibus, tum in aliis functionibus, observetur.

18. Tempore, quo Divina Officia, vel Conciones, in Cathedrali, vel in Parochialibus, celebrantur, in Confraternitatibus Ecclesiis preces non habeantur.

19. Qui sit ab una Confraternitate ciectus, in alteram, nobis inconsultis, non admittatur.

20. Pro Confraternitatibus, quæ a D. Cesonio, a D. Diani, & a D. Filii, statuta sunt, & a nobis ordinatis contraria non sunt, confirmamus.

CAPUT XIII
De Foro judiciali, ejusque Officialibus, & Ministris.

1. Vicarius generalis, & Promotor Fiscalis, sint saltem sacris Ordinibus insigniti, easque conditiones habeant, quas Ss. D. N. Benedictus XIII. in suo Romano Concilio præcipit.

2. In Caussis, quæ speciale mandatum postulant, noster Vicarius generalis illud habeat; sine quo nulli sint actus, quos fecerit.

3. Visitet semel in mense carceres Episcopii, non solum ut eas tutas servet; sed etiam ut humanas, & sacri ordinis hominibus haud minimum molestas, & infames.

4. Servet omnino taxam Innocentianam, quam nos in nostri regiminis exordio in viridi posuimus observantia, pro caussis, quæ spirituales sunt; pro civilibus vero, & criminalibus, nostræ Curiæ taxam, quæ satis mitis, & moderata est, non excedat.

5. Visitet etiam aliquando Archivum, quod præcipimus fieri, servari, & custodiri, ad formam a Sanctissimo Domino nostro in Concilio Romano præscriptam.

6. Ecclesiasticorum famæ, absque justitiæ præjudicio, consulere satagat, in causis,

causfis, quæ funt caftitatis violatæ, & præcipue curet, ut omnis iterati lapfus occafio tollatur.

7. Quam modeftius fieri poteft captura Sacerdotum fiat, & non fine cauffa legitime probata; ut fcandalum ex una parte vitetur, & ex altera ne in cænfuram incidat, quæ in Capitulo *fi quis fuadente*, continetur.

8. Promotor Fifcalis, feu Fifci Patronus, fit fidelis ac diligens in munere fuo, Fifci jura defendat, delinquentes diligenter inquirat, & a munerum fordibus non fœdetur.

9. Citationes fciat ita affigere, ac fi perfonaliter effent intimatæ, fi vel folitæ habitationis domi, vel per affixionem in cafibus a jure permisfis, fiant.

10. Acta omnia fiant in Curia, & in banca juris, aliter fint nulla, & nihil folvatur, nifi acta vere, & realiter, fint facta, aliter reftituatur.

11. Vicarius generalis in fui Officii exordio fidei profeffionem emittat in manibus noftris.

12. Actorum Magifter fit peritus, & probus, & antequam officium fuum exequatur, juramentum præftet de eo fideliter exercendo.

13. Moneat Teftes de viribus juramenti, & de perjurii malitia, quum illos examinare fub juramento contigerit.

14. Cauffæ quum fuerint expeditæ, in frõte proceffus, adnotet expeditionem.

15. Curiæ fecreta nemini revelare audeat, fub pænis ad noftrum arbitrium.

16. Adnotet in regiftro approbationes, licentias, & confirmationes Confeffariorum, patentales literas Concionatorum, Miniftrorum noftræ Curiæ, fylvaticorum Clericorum; nec non licentias pro Eremitis, Quæftoribus Ecclefiarum, & cætera.

17. In altero regiftro adnotet diligenter Ordinatos, cum nominibus, cognominibus, & Patria, die, menfe, & anno, & Ordinibus fufceptis, & de cujus Ordinarii licentia, fi fint exteri, vel apoftolicum breve, fi fuerint ante legitimam ætatem, vel extra tempora, promoti.

18. Scripturas non mutilet, non variet, nec deperdat, fub pænis nobis bene vifis.

19. De Vicariis foraneis confirmamus, quæ D. Fili in fua Synodo ordinavit.

20. Nolumus autem, ut Archipresbyteri, vel Parochi, Vicarii foranei munus exerceant; quod Ss. D. N. Benedictus XIII. in Concilio Romano prohibuit.

C A P U T XIV.

De Exequiis, & Sepulturis, ac de Teftamento pro anima, in decedentibus ab inteftato.

1. Capillorum dilanationes, lamentatricum ufus, fupervacaneos, & immoderatos fletus, aliofque cum ftrepitu ejulatus, in mortuis deplorandis, a Prædecefforibus noftris fub excomunicationis pæna prohibitos, fub eadem pæna refpuimus, & execramur.

2. Cadavera in fedibus vincta ad fepulturam non deferantur, fed in feretro ftrata.

3 Non

3. Non ante Solis ortum, nec post illius occasum, ad Ecclesiam deportentur, absque nostra licentia.
4. Non circumducantur per vias obliquas, sed per rectas, & breviores.
5. Pro Sacerdotibus,& Ecclesiasticis, sit sepultura in unaquaque Parochia, ab illis Laicorum distincta.
6. Cadavera ante horas duodecim ab obitu, sepulturæ non tradantur; si vero mors fuerit repentina, ante horas vigintiquatuor; alias Ecclesia sit interdicta.
7. Pro parvulis sit etiam sepulchrum ab aliis distinctum, & separatum.
8. Sepulchra sint remota ab Altaribus, itaut suppedaneis ipsorum non tangantur, aliter Altaria sint interdicta.
9. Nova sepulchra, absque nostra licentia, non construantur, nec pavimentum pro sepeliendis cadaveribus excavetur, sine solutione Eleemosynæ consuetæ, & in aliis Synodis enunciatæ.
10. Infirmi ore proprio sepulturæ electionem faciant, & qui non fecerint, & mortui fuerint,in sepulchro Majorum suorum sepeliantur.Ecclesiastici vero in Ecclesiasticorum sepultura; & qui non habuerint, in propria Parochia sepulchrum habeant.
11. Nemo alliciat Infirmos ad sepulturam eligendam in suis Ecclesiis, vel ad mutandam electam, sub excomunicationis pœna.
12. Parochi, qui noverint cadavera efferri in aliam Ecclesiam, quam Infirmus elegerit, & in alia sepultura sepelienda, quam in ea, quam Defunctus statuerit, exequiis non intersint, sub suspensionis pœna.
13. Qui annualem confessionem non fecerint, nec paschalem communionem, Ecclesiastica careant sepultura; identidem excomunicati, usurarii, meretrices, concubinati, peccatores publici, aliique prohibiti, & in Rituale adnotati; transgressuribus excomunicationis pœnam infligimus, & interdicti Ecclesiæ.
14. In funeribus consanguineorum, vel affinium, cujuslibet gradus, Ecclesiastici non sint sine collare, nec sine aliis insignlis, quibus Ecclesiastici dignoscuntur; domum, cadaver associantes, non exeant; nec secularium more ejulatus in domus ostio ante feretrum emittant; sub pœnis ad nostrum arbitrium.
15. Parochis pro stola in associandis adultis, æque ac parvulis, D. Fili tarenum unum monetæ hujus Regni, attenta tenuitate redddituum Parochialium nostræ Diœcesis, concessit; quod, & nos confirmamus.
16. Prohibemus autem augeri stipendia pro exteris, qui in nostra Diœcesi moriuntur, sive pro funeribus, & pulsatione campanarum, sive pro aliis functionibus; sed solita exigantur pro incolis; juxta consuetudinem Diœcesis.
17. Pauperum autem cadavera gratis sepulturæ tradantur, etiam quoad jus sepulchri;& Curati nihil ab eis exigant,sed omnia pro charitate faciant.
18. Ecclesiastici omnes intersint in funeribus Sacerdotum, eorumque Patris, ac Matris; & in cadaveribus associandis nihil omnino recipiant, sub pœna D. Fili taxata.

O 19. Ex

19. Ecclesiastici deferant tumulanda Ecclesiasticorum cadavera; nempe Canonicorum Canonici, Sacerdotum Sacerdotes, Clericorum Clerici; & Missa pariter a Canonico, vel a Sacerdote respective cantetur.

20. Quarta funeralis, quæ nostræ Cathedrali, & aliis Parochijs, debetur, omnino solvatur; etiam a Regularibus, juxta novissimam Ss. D. N. Benedicti XIII. constitutionem, prout quoque in nupero Concilio Romano continetur.

21. Seculares infirmi si cum Regularium habitu post obitum sepeliri voluerint; id faciant Parocho præmonito, & quod a Superiore Conventus servatis benedictionibus adhuc vivētes vestiantur, vel alias sint induti.

22. Consuetudo hujus Diœcesis, qua Sacerdotes singuli Missas celebrant pro anima cujuslibet Sacerdotis defuncti, omnino est approbanda, & retinenda.

23. Quum nos viam universæ carnis ingressi fuerimus, & Successores nostri in meliorem vitam transierint, Sacerdotes omnes pro nobis, & pro illis, Missam celebrare, saltem ex charitate, dignentur; Clerici vero, & Moniales, Officium Defunctorum recitare.

24. Sub excomunicationis pæna ipso facto incurrenda, & absque alia declaratione, prohibemus omnibus, & singulis, in morte Episcopi, Episcopium ingredi, ut illud diripiant, feras, & claves auferendo, portas devastando, & alias quascunque scripturas ex Archivo, vel ex Cancellaria, deportando, lacerando, vel cassando; unus autem, vel duo ex Capitulo, ab eodem deputandi, Episcopij custodiam habeant, & Successori omnium in eo contentorum rationem reddere teneantur.

25. Quotannis Missa cum anniversario pro Episcopo proxime defuncto in nostra Cathedrali, & in omnibus Parochijs celebretur; omnes autem Sacerdotes, saltem collectam faciant, si Missam dicere noluerint; & prima die non impedita post omnium Fidelium Defunctorum Commemorationem, sollemnis Missa pro omnibus Episcopis, Sacerdotibus, & Clericis defunctis nostræ Diœcesis celebretur.

26. Campanæ in nostra Cathedrali non pulsentur, ut vulgo dicitur: a *Castellana*, sine nostra licentia; permittimus autem ut pulsari possint in morte Dignitatum, & Canonicorum hujus Cathedralis, & Nobilium hujus Civitatis, juxta decretum D. Fili die 4. Aprilis anni 1700. factum, & in Allegationibus nostris tom. 2. allegat. 3. §. 3. allatum.

27. Non pulsentur nisi de die, non autem de nocte, sine nostra licentia, vel Vicarii foranei nostri; earumque sonus unicam horam nō excedat.

28. Infantes præcedente Parocho efferantur, superpellicio induto, qui Crucem sine hasta in manu gestet, sub pænis ad nostrum arbitrium.

29. Regulares omnes ad Ecclesiam Matricem accedant, inde cum Clero associaturi funus; si recusaverint, a processione arceantur.

30. Merces, quæ provenit ex associatione exequiarum, non dividatur, nec in Choro, nec in Ecclesia, sed in Sacristia; & inter solos intereffentes, & associantes, dividatur; & absentes de ea nihil omnino participent; & ad instar distributionum pro rata inter Canonicos, Sacerdotes, & Clericos, divisio fiat.

31. Societatem, seu Confraternitatem Mortis in nostra Civitate Terræ novæ erectam nuper, nostra prævia licentia, summopere commendamus; ejusque Sodales ad tam pium opus sedulo exercendum incessanter exhortamus; volumus autem, & Cappellano ejusdem Societatis pro tempore existenti serio mandamus, ut quoties pauperem aliquem a Societate sepeliri contigerit; toties schedulam, in qua illius nomen, cognomen, & patria descripta sint, si sciantur; necnon dies, mensis, & annus mortis, ut de ea legitime constare possit, Parocho tradere teneatur. Parochus autem schedulam præfatam omnino exigat, & si petitam non obtinuerit, nobis relationem faciat.

32. Corpora defunctorum pro quacunque caussa diu inhumata non jaceant, præsertim si avaritiæ adsit suspicio; pœnis ad nostrum arbitrium reservatis.

33. Cadaver quodcunque non exhumetur absque nostra licentia in scriptis, sub pœna violatæ immuminitatis Ecclesiasticæ.

34. Consuetudo disponendi per Episcopum de aliqua parte bonorum morientium ab intestato, pro illorum anima, in hac nostra Diœcesi antiqua est, & pia; ac proinde omnino retinenda, & servanda.

35. Non excedat summam ducatorum centum monetæ hujus Regni, ut Venerabilis Servus Dei Innocentius XI. declaravit, minus autem, si morientium minora sint bona.

36. Quantitas, quam Episcopus taxaverit, applicetur in celebratione præcipue Missarum, pro anima Defuncti, vel in aliis piis operibus, quæ Defunctus probabiliter elegisset.

37. Non retardetur humatio cadaveris, si Hæredes solvere noluerint; sed compellantur Hæredes ipsi, etiam per censuras, juxta Synodum D. Filii.

38. Parochi statim ac mors hujusmodi secuta fuerit, nos certiores reddant; sub pœnis ad nostrum arbitrium.

39. Fiant acta per Cancellarium in hujusmodi testamento pro anima condendo; sed omnia gratis fiant.

40. Missas celebrare faciat Episcopus a Sacerdotibus sibi bene visis, non autem ad Hæredum libitum, & electionem.

C A P U T XV.

De Usurariis, & Concubinatis.

1. Usurarii si sint manifesti, testamentum facere non possunt, nec Ecclesiasticam habere sepulturam; ad Sacramenta admitti nequeunt, nisi alienis redditis reipsa, non solum promissis.

2. Usurarii, si sint Ecclesiastici, suspensionem ab officiis, & beneficiis, incurrunt. Proinde nec Laici, nec Ecclesiastici, nisi prius restituant, sunt absolvendi.

3. Detestabilis est usura expressa, quæ contingit, quum mutuans, & mutuatarius, expresse inter se conveniunt de dando, ultra sortem mutuo datam, aliquid plus; & execrabilis est etiam usura palliata, quæ venit sub colore, ac veluti pallio alicuius contractus, vel tituli, ut Doctores scribunt.

4. Etiam

4. Etiam si pecunia mutuata sit pupillorum, viduarum, loci pii, vel pauperum, non habentium unde vivant, nullo modo licitum est aliquid ultra sortem accipere.
5. Potest mutuans aliquid ultra sortem accipere ratione damni emergentis, si id principio in pactum deducat, & ad mensuram damni, quod revera evenit, & quod creditor aliunde commode evitare non potuit; secus non potest.
6. Ratione vero lucri cessantis potest etiam, his tamen concurrentibus conditionibus; quod mutuum sit caussa lucri cessantis; quod lucrum non statim exigatur; quod accipiatur tantum, quantum valet spes lucri, detractis expensis pro labore, industria, & periculo, arbitrio boni viri; & quod mutuans aliam nō habeat pecuniam ad negociandum.
7. Post aliquid etiam accipi ratione periculi, si tamen in pactum deducatur, & sit ad quantitatis proportionem, quæ pro assecuratione daretur; & dummodo etiam periculum sit verum, & pignus, aut assecuratio non detur.
8. Contractus, in quibus pro pecunia mutuata mutuans fruitur fundo debitoris, fructus accipiendo, sunt usurarii, si æqualitas non servetur.
9. Qui dat alicui pecuniam ad negociandum, non potest recipere lucrum conventum, nisi facto calculo fuerit aliquid in negociatione superlucratum.
10. Nemo potest rem carius vendere propter dilatam solutionem, nec propter eandem anticipatam vilius emere.
11. Vinum, Frumentum, Oleum, Sericum, & similia, exigantur pro pretio, quod communiter taxatur, vel ab habente potestatem imponitur, quamvis anticipata facta fuerit solutio.
12. Usuram committit, qui dat frumentum corruptum, vel aliquid aliud, ut sibi tradatur bonum; vel qui dat frumentum ad justam mensuram, ut sibi reddatur ad mensuram superaffluentem, vel coagitatam.
13. Census creari debet super re immobili fructifera, & certis finibus designata, in pecunia numerata, coram Notario, & Testibus in actu Instrumenti; sine ulla conventione casus fortuiti, & servatis cæteris servandis, juxta constitutionem S. Pii V. incipit: *Cum onus* juxta morem nostræ Diœcesis, & nostræ Curiæ.
14. Cambia sicca, seu ficta, damnantur ab eodem S. Pio V. per constitutionem, *In eam*; 148.
15. Qui utitur pignore accepto, furtum committit, & si percipit fructus, usuram; nisi adsit excusatio lucri cessantis.
16. Notarii, qui rogant instrumenta usuraria, subjaceant oneri restitutionis, & censuræ.
17. Jure Canonico Clericis, & personis Ecclesiasticis, est interdicta negociatio; quod si honesta sit caussa, obtineant prius facultatem ab Urbe; alias obtenta sit nulla. Hæc fine, ad instructionem subditorum nostrorum, ex Synodis aliis excerpsimus.
18. Contra concubinas habentes, & contra easdem concubinas, si post

trinam monitionem non resipuerint, ad sententiam excommunicationis procedemus, a qua non absolvantur, nisi mandatis Ecclesiæ paruerint.

19. *S*i post censuram latam, obstinatiores fuerint, censuræ aggraventur, & reaggraventur.

20. Mulieres quoque aliis pœnis prout de jure punientur, invocato etiam brachio seculari, si opus fit; juxta jus commune, & municipale.

21. *S*i furfuris tam pestilentis aliquando aliquem ex Clericis esse contigerit aliis etiam pœnis, pecuniariis, & corporalibus, punietur.

22. Quoties scandalum oritur pravæ conversationis, præceptum fiat sub pœna de non conversando, nec alloquendo; & si præceptum non observetur ad pœnæ executionem procedatur; pro Clericis scilicet pecuniaria exigetur pœna, pro Laicis ad excomunicationem procedemus.

23. In meritoriis tabernis, vel in publicis cauponis, meretrices pernoctare non possint, sub excomunicationis pœna.

24. Concubinati etiam reputantur, qui concubinam, non in domo propria retinent, sed in aliena.

C A P U T XVI.

De Synodatico, seu Cathedratico, & mortuali jure solvendis.

1. SYnodaticum, seu Cathedraticum, a Clericis deberi Episcopis jure communi cautum. Can. *placuit*, Can. *illud te* Can. finali 10. q. 3. & Cap. *Conquerente* extra hoc titulo; Concilium Romanum sub *Ss.* D. N. Benedicto XIII. declaravit.

2. *S*tatuit insuper duorum solidorum esse, viginti scilicet juliorum census, Cathedrali Ecclesiæ solvendum in signum honoris, & subiectionis Cathedræ Pontificali.

3. Et quidem ita privilegiatum dixit, ut neque ab Episcopis in totum remitti, nec a quoquam valeat, quocunque titulo, vel immemorabili consuetudine, præscribi.

4. Quum ergo in nostra Diœcesi introductum non inveniatur, decernimus omnino solvendum; Quoad taxam quatuor ex nostro Capitulo Canonicos deputamus; ut singulis ad formam præfati Concilii Romani designent.

5. *S*i forte aliquid sub alio, vel fixorum munerum, vel xeniorum nomine, usque modo nobis oblatum fuerit, omnino recusamus, tanquam qui non præmium quærimus, sed honorem.

6. Canonici proinde deputati id mature, & exacte, investigent, & ad nostram mentem, imo ad mentem *Ss.* D. N. Benedicti XIII., rem expleant.

7. A Regularibus Ecclesiis Cathedraticum exigi non debet; ab Ecclesiis secularibus maxime, & a Beneficiatis, nobis subiectis, tali moderatione est exigendum.

8. Quibus sunt redditus infra scuta decem, idem de ducatis monetæ Neapolitanæ intelligatur, duo julii; quibus scuta infra quinquaginta, julii quinque; quibus infra centum, julii decem; quibus ultra centum, vel quacunque in alia majori summa, julii quindecim.

9. Ab Ecclesiis, ubi plures de massa participant, ab omnibus in communi julii viginti solui debent.

10. Solutio in pervigilio Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quum ad vesperas decantandas proceditur, ab Æconomo fiat.

11. Hactenus continuata, & nunquam interrupta, consuetudine in hac Dioecesi est observatum, ut in morte Ecclesiasticorum superpellicium, byretum, & breviarium Episcopo deberentur, & muzzetta etiam cum roccheto, si iis morientes fuerant insigniti. Modo autem, prævio apostolico assensu, conventio inita est inter nos, & Capitulum, & Clerum Civitatis, & Dioecesis, qua in pecunia quique locus, seu loci Clerus solvat, quod conventum est, & insignia illa defunctorum hæredes retineant. Conventionem, publicis tabulis firmatam, hic etiam confirmamus, & in suo robore in futuro servandam esse decernimus.

12. Capitulum, & Clerus Civitatis, ex prædictæ conventionis ui, ducatos quatuor solvet; Collegiata, & Clerus Terrænovæ, Galatoni, & Scroforii, ducatos tres; Clerus Sanctæ Christinæ ducatos duos; Clerus Pedavoli ducatos duos; Clerus Parachorii ducatos duos; Clerus Varapodi ducatos duos; Clerus Tresilici, & Zurgonadi, carolenos quindecim, Clerus Lubrici carolenos quindecim; Collegiata, & Clerus S. Georgiæ carolenos quindecim, Clerus Scidi carolenos quindecim; Clerus Cosoleti carolenos quindecim; Clerus Settizani, & Castellacii, carolenos quindecim.

13. Solutio fiat in pervigilio Sanctissimæ Annunciationis, Dominæ nostræ, Mariæ, Matris Dei, Civitatis, & Dioecesis Patronæ, quum ad primas Vesperas procedimus,

14. Hoc jus mortuale dicimus, quod non potest cum Cathedratico confundi, ut ad supplices preces, omnium Ecclesiasticorum, quibus pro hac transactione nos rogaverunt, respondimus, ac declaravimus.

15. Omnem consuetudinem in contrarium, si quæ forte in futurum obrepserit, ex nunc pro tunc, abrogamus; ac corruptelam, injustitiam, & infidelitatem, declaramus.

CAPUT XVII.

De Hospitalibus, aliisque piis Locis.

1. Quæcunque sunt in nostra Civitate, & Dioecesi Hospitalia, nostræ subsunt visitationi, ac jurisdictioni, per Ecclesiasticos Procuratores, a nobis eligendos, ipsorum bona, proventus, ac redditus administrantur; & eorum administrationis nobis quotannis rationem reddunt.

2. Procuratores hujusce modi providi, ac diligentes sint in Infirmis curandis, in peregrinis alendis, & in providendis suppellectilibus pro utrisq; ac tandem in custodia omnium, quæ pro Infirmis, ac Peregrinis deserviunt.

3. Absque Medici fide in Hospitale Infirmi non recipiantur, Infirmorum bona diligenter custodiantur, & quum eorum mors contigerit, de iisdem ratio reddatur. 4. In-

4. Infirmis, qui ad Hospitale venire nolunt, sed in propriis domibus decumbere, nihil ex Hospitale detur.
5. Procuratores Hospitalis invigilent non solum Infirmos humanis auxiliis adjuvare, sed etiam Sacramentis munire, & in agonia positos ad bene moriendum modis omnibus auxiliari,
6. In libro adnotentur nomina, cognomina, Patriæ Peregrinorum defunctorum, & Ecclesiæ, in quibus fuerunt sepulti.
7. Quum Hospitale nostræ Civitatis Oppidensis fuerit tantum erectum pro febri laborantibus, & redditibus modo abundet, auctoritate a S. Concilio Tridentino nobis tributa, cum toto nostro Capitulo in hac Synodali actione statuimus, ut pro omnibus, & quibuscunque, Infirmis alendis, curandis, subveniendis, deserviat, illis tantum exceptis, qui lue venerea laborant.
8. Hospitale Terrænovæ erectum, & ampliatum, nostri regiminis tempore, peculiari benevolentiæ testimonio complectimur; & ad memoriam illius, qui ipsum dotavit, & ad laudem alterius qui idem diligentissime gubernavit, semper sub nostra protectione volumus.
9. Quicunque piorum locorum Procuratores, qui a nobis eligi debent, ut de facto eliguntur, in principio cujuslibet anni præstent juramentum in manibus nostris de bene, & fideliter officium suum administrando.
10. Habeant stipendium a nobis statutum, & exactio reddatur ad beneficium Loci pii; ita ut nihil remaneat exigendum ad ejusdem pii loci damnum, præcipue quum partitæ, ut dicitur, non sint decoctæ.
11. Ecclesiasticis convenientibus ad festum pii loci, non detur caro, sed pecunia, pro eleemosina, juxta taxam a nobis factam.
12. Procuratores non sint debitores pio loco, nec debitorum consanguinei, vel affines, ad primum gradum.
13. Celebrationis Missarum rationem reddant nobis in Sancta Visitatione quotannis, & Rationalibus quoque designatis a nobis pro revisione librorum quolibet anno.
14. Pro investimentis faciendis hæc observentur. Detur memoriale per partes, quæ volunt pecunias; remittatur relatio jurata Procuratoris, fiat edictum, & affigatur; examinentur testes, & ponantur in actis, ac tandem interponatur decretum per Curiam, & a Notario in Instrumento inferatur.
15. Procuratores, Olea, Serica, aliaque hujusceemodi, absque nostra licentia, vendere non possunt; si secus fecerint, pœnam incurrent trium ducatorum, & unius mensis carceris formalis; & quum oleorum, castanearum, aliorumque venditiones, incantationes, subhastationes fiunt, semper cum Parochi præsentia fiant, & de hoc documentum in rationis redditione exhibere teneantur.
16. Sortes Capitales, & pecuniæ quæcunque, piorum locorum, in communem Capsam, quæ est in nostro Episcopio, deportentur, sub pœnis Procuratoribus, qui in hoc negligentes, vel dolosi fuerint, ad nostrum arbitrium.

17. Mis-

17. Missarum onera perpetua non recipiant, absque nostra licentia, juxta decretum Urbani VIII., & sub pœnis in eodem decreto contentis.
18. Pro revisione librorum introitus, & exitus, detur tantum Rationalibus solita merces, & nihil amplius solvatur, aut donetur, aut fiat.
19. Procurator Monasterii nostri Monialium Terrænovæ sit Ecclesiasticus; non Secularis; quum adhuc recentia sint vulnera, quibus elapsis temporibus a secularibus Procuratoribus fuit Monasterium dilaceratum.
20. Montes pietatis juxta Sacrum Concilium Tridentinum erigantur, administrentur, ac regantur.

PETITIONES A PROCURATORE CLERI FACTÆ.

Illustrissime, & Reverendissime Pater, & Domine.

U. J. D. D. Joseph Mazzapica, Archipresbyter Insignis Collegiatæ Ecclesiæ Civitatis Terrænovæ, ac Civitatis, & Diœcesis Oppiden: Cleri Procurator, humillime petit provisionem super sequentibus petitionibus

1. Ut reintregetur in prædicta Civitate Terrænovæ cura animarum, sub titulo Ss. Salvatoris, justis de caussis jam in Curia productis, & probatis.
   Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus respondit. *Reintregetur.*
2. Quod Regulares, & Confraternitates intervenientes (ut moris est) ad publicas processiones, tam in accessu, quam in reditu, Ecclesiam, ex qua, & in qua functio incipit, vel terminatur, ingredi teneantur, ibique precibus assistere, usque ad finem, juxta dispositionem generalium decretorum Congregationis Regularium, & Episcoporum; quocunq: abusu in contrarium non obstante.
   Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus respondit. *Placet.*
3. Quod Candelæ omnes, quæ ingrediuntur in Ecclesiam parochialem in obsequium Cadaveris, spectent ad Parochum, detracta solita quarta Mensæ Episcopalis; verum si Hæredes sint ita pauperes, ut nec Clero possint cādelas distribuere, tunc possint Confraternitates propriis cæreis Ecclesiam ingredi, & egredi.
   Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus respondit. *Placet.*
4. Quod in diebus festis una tantum Missa celebretur in aurora pro commoditate Populi ante parochialem, ubi concio habetur; ad hoc ut omnes concioni intersint.
   Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus respondit. *Placet.*
5. Quod Clerus in qualibet processione, etiam terminata functione, in reditu ad Ecclesiam parochialem processionaliter incedat, & non confuse, & turmatim.
   Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus respondit. *Ita est omnino servandum*
6. Quod in Ecclesiis parochialibus nemo possit pulsare campanam pro mortorio defunctorum, aliisque functionibus publicis, sine licentia Parochi; ac in Ecclesiis filialibus vesperas, aut Missas canere, eodem inscio, & non annuente.

Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus respondit. *Placet.*

7. Quod Clerus in Choro omnino servet compositionem corporis, & silentium, dum divina peraguntur, ad instar Chori Cathedralis, juxta ordinationes in præsenti Synodo factas.

Illustrissimus, & R̄mus Dominus respondit. *Placet.*

8. Quod Regulares non audeant in Ecclesiis Secularibus, vel in processionibus, quæ fiunt per Clerum, functiones peragere.

Illm̄s, & Revm̄s Dominus respondit. *Placet.*

9. Quod Clerici Conjugati in omnibus diebus festis Missæ sollemni intersint; quemadmodum alii Clerici interveniunt; & Clerici omnes ad associationem Sanctissimi Viatici cum Cotta assistant, sub pœna Vobis bene visa.

Illm̄us, & Revm̄us Dominus respondit. *Placet, sub pœna duorum carolenorum; piis usibus, &c.*

10. Quod in hac Civitate, & Diœcesi, in majorem venerationem Sanctissimæ Virginis Mariæ, ab Angelo salutatæ, Civitatis, & Diœcesis præcipuæ Patronæ, ad signum salutationis Angelicæ, tam de mane, quam meridie, & vespere, omnes genuflectant; præsertim quod Sanctissimus Dominus noster, Benedictus XIII. pluribus Indulgentiis totum Populum Christianum ad hoc summopere hortatus est.

Illm̄s, & Revm̄us Dominus respondit. *Hortamur Populum; Clero autem præcipimus; quemadmodum præcipimus Parochis, ut in suis concionibus hoc ipsum Plebibus, sibi commissis, continuò inculcent.*

CAPUT XVIII.

De Constitutionibus Synodalibus recipiendis, & observandis.

1. Constitutiones, quas hac in prima nostra Synodo, de Capituli nostri consilio, publicavimus, & quas ex Sacris Canonibus, & Sacrosanctis Conciliis, & Pontificum Decretis, ex Sacrarum Congregationum declarationibus, & peculiarum Synodorum, à S. Sede confirmatarum, statutis, desumpsimus, post mensem, à die publicationis, vim legis omnino habebunt, & ab omnibus, & singulis, dicto tẽpore elapso, observandæ inviolabiliter erunt, sub pœnis hic contentis.

2. Per dictas autem pœnas, hic insertas, nullum præjudicium irrogabitur potestati nostræ, nostrorumve pro tempore Successorum, ex præsentis Synodi dispositione; quinimmo libera, ac plene soluta, nobis, illisque, potestas remaneat, easdem pœnas augere, minuere, dispensare, pluraque facere, prout necessitas suaserit, & recta ratio præceperit.

3. Non intendimus autem, per hæc nostra decreta derogare, sufferre, aut revocare, alia decreta aliarum Synodorũ, in hac Diœcesi celebratarum; quin potius ea confirmamus, & approbamus, modo his contraria, vel cum his incompatibilia non sint.

4. Edicta à nobis facta toto Præsulatus nostri tempore, sive generalia, sive peculiaria, confirmamus,

5. Denique omnia à nobis in hac Sacrosancta Synodo disposita, ordinata, decreta, quia ad Christianæ pietatis, & Catholicæ fidei, in hac nostra Diœcesi, puram conservationem, ac propagationem pertinent, quam Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Magistra, Mater, & Caput, ubique terrarum docet; ideo ea omnia Sanctæ Sedis beneplacito, illiusque infallibili judicio, corrigenda, mutanda, ac approbanda remittimus; à cujus mente nil alienum intendimus, vel præcipere, vel docere.

INSTANTIA
Pro Synodi dimissione.

Illustrissime, & Reverendissime Pater, & Domine.

Quia præsens Diœcesana Synodus, quam ad majorem Dei gloriam incæpimus, ad ejusdem honorem perducta ad finem, feliciter quoque videtur; Ideo ego Laurentius Amodeo hujus Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Pænitentiarius, & hujusce Synodi Promotor, humiliter, ac reverenter, pro ejusdem dimissione insto.

Illmus, ac Revmus Dominus respondit. *Legatur decretum.*

Tunc Synodi Secretarius legit sequens.

DECRETUM
De Synodi Dimissione.

Frater Joseph-Maria Perrimezzi, Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, Ss. D.N. Benedicti Papæ XIII. Prælatus domesticus, ac Pontificio Solio Episcopus assistens, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Oppiden; & huic Diœcesanæ Synodo Præsidens.

AD Omnipotentis Dei laudem, Beatissimæ, & Immaculatæ semper Virginis MARIÆ, ab Angelo salutatæ, Civitatis, & Diœcesis Patronæ, ac Sanctorum Francisci de Paula, & Philippi Nerii, Protectorum, Synodum dissolutam, ac dimissam, decernimus, hac die vigesima Augusti, anni millesimi septingentesimi vigesimi sexti, feliciterque completam; ac proinde cuilibet licitum sit ad proprias Ecclesias redire.

F. Joseph-Maria, Episcopus Oppiden; Synodi Præsidens.

ACCLAMATIONES IN SYNODO FACTÆ.

Canonici intonarunt.

BEatissimo Benedicto decimo tertio, Patri, ac Domino nostro, Sanctæ, & universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.

Chorus cantavit

Domine Deus Sanctissimum Patrem dilectissimæ Ecclesiæ tuæ conserva, ad multos annos, ad multos annos.

Canonici.

Augustissimo Carolo Sexto, Austriaco Imperatori, ac Regi nostro Catholico, pio, forti, magno, multi anni, multi anni.

Chorus.

Christianissimum Imperatorem nostrum, Catholicumque Regem, Imperator Cœlestis conserva, ad rectæ fidei conservationem, ad multos annos, ad multos annos.

Canonici.

Illustrissimo, ac Reverendissimo Patri, & Domino, D. Fratri Josepho-Mariæ Perrimezzi, Episcopo nostro, Præconi veritatis, Pastori bono, forti, vigili, pientissimo, felix in Ecclesia status, salus in terris, gloria in Cœlis.

Chorus.

Præconi veritatis perpetua memoria. Patri Clementissimo perpetua laus. Judici justissimo perpetuus honor, ad multos annos, ad multos annos.

Canonici.

Civitati Oppidensi, ac toti Diœcesi suæ, salus, & in bonis operibus perseverantia.

Chorus.

Perseverantia, Perseverantia. Salus; Salus.

Canonici.

Decretis Synodalibus inhærentes, digni reddamur gratia Domini nostri Jesu Christi.

Chorus.

Fiat, Fiat; Amen; Amen.

Notarii Synodalis Rogitus.

PRæfatæ Constitutiones, & Synodalia decreta, prius in privatis Congregationibus, coram Capitulo Cathedralis, Præsidente Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino D. Fratre Josepho-Maria Perrimezzi, per R. Canonicum D. Antoninum Basile, Synodi Secretarium lecta, & supra caput recepta, nemine prorsus contradicente; deinde in publicis tribus sessionibus, coram eodem Capitulo, & universo Clero, Civitatis, & Diœcesis Oppidensis, servatis de more, & de jure servandis legitime congregato, per eundem Synodi Secretarium e suggestu in Cathedrali Ecclesia, alta, & intelligibili voce, iterum lecta, recepta, publicata, & per verbum *Placet* ab omnibus unanimiter acceptata fuisse, nemine discrepante, aut ullatenus opponente neque ex Clero, neque ex Populo, ac demum solitis acclamationibus celebrata, anno Domini millesimo, septingentesimo vigesimo sexto, die decimaoctava, decima

no-

nona, & vigefima, Menfis Augufti, Pontificatus *SS*. D. N. D. Benedicti divina providentia Papæ XIII. anno tertio; multis ibidem præfentibus, & audientibus, & fignanter Notario Dominico Antonio de Campora Neapolitano, *S*ubdiacono Dominico Barba Diœcefis Mileten: Acolyto Antonio Seta Diœcefis *S*. Marci, & de Populo, pluribus Deputatis Civitatis, & locorum Diœcefis, ac omnibus fere *S*yndicis Civitatis, & Diœcefis, & me infrafcripto Notario *S*ynodi; Inftante R. Canonico Pænitentiario, D. Laurentio Amodeo, Synodi Promotore; ad futuram rei memoriam teftor, &c. in quorum fidem, &c.

Ego Francifcus Germanò, Cathedralis Ecclefiæ Oppiden; Canonicus, publicus Apoftolica auctoritate Notarius, *S*ynodique pariter Notarius, de præmisfis rogatus, præfens publicum Inftrumentum feci, fubfcripfi, publicavi, ac folito, quo utor figno requifitus fignavi.

✠ Locus Sigilli.

INDEX
TITULORUM SYNODI.

INDEX
RERUM SYNODI.

A

B

Can-

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

T

Syno-

T

V

FINIS INDICIS SYNODI.

ERRORUM.	CORRECTIO.
f. 9. & alibi. Diæceſanum	Diœceſanum.
f. 10. Chriſtiana vita	chriſtianæ vitæ.
f. 11. pæſcripta	præſcripta.
f. 14. conſuetudine	conſuetudinem.
f. 14. reſpoidt.	reſpondit.
f. 17. qnod	quod.
f. 18. & alibi. Excomunicationis.	Excommunicationis.
f. 22. hyſtoriæ	hiſtoriæ.
f. 26. defferri	deferri.
f. 29. quam	quas.
f. 31. Sacram Bibliam.	Sacra Biblia.
f. 31. & alius	& aliud.
f. 35. extractione	exactione.
f. 38. Porochi	Parochi
f. 40. adoranda	adorandam.
f. 41. in qua	in quam.
f. 49 dare	donare.
f. 51. etiam de	etiam ut de.
f. 52. Seminarios	Seminaria.
f. 55. Confraternitatibus.	Confraternitatum.
f. 56. affigere.	afficere.
f. 59. exhortamus	exhortamur.
f. 61. Rogularibus	Regularibus.

INDEX
RERUM APPENDICIS.

FINIS.

APPENDIX

AD PRIMAM DIOECESANAM SYNODUM OPPIDENSEM ANNI MDCCXXVI.

I.

INSTRUZIONE

Per facilitar' il Metodo di bene insegnare la Dottrina Cristiana fatta per ordine di Nostro Signore BENEDETTO XIII. e posta nell'Appendice del suo Concilio Romano.

NON basta dare il latte,quando il modo di porgerlo sia così disadattato, che non produca in chi'l riceve il desiderato nutrimento. Tal difetto à la Santità di Nostro Signore riconosciuto con molto suo rammarico nella instruzione, che si fa della Dottrina Cristiana a fanciulli; imperocchè, se bene i Parrochi non mancano sostanzialmente di somministrare il latte della Cristiana pietà, coll'ammaestrarli nella medesima Dottrina, alcuni però lo fanno con modo così confuso, ed inetto, che sono cagione a figliuoli, o che no'l prendano bene, ò almeno, che lo prendano indigestamente, e con difficoltà. Onde per ovviare questo disordine di non poco momento, à stimato necessario di prescrivere in questa Instruzione il metodo più facile,e più chiaro,col quale dovrassi per avvenire in tutte le Parrocchie insegnare la Dottrina Cristiana.

I. Ne' giorni di festa, stabiliti in questo Concilio Romano, il dopo pranzo, oltre al solito segno della Campana della Chiesa Parrocchiale, subito si manderà uno, o due figliuoli de'più diligenti, e divoti, secondo la grandezza della Parrocchia (ed in loro mancanza il Cherico Parrocchiano) che col campanello vadano per le strade dicendo: *Padri, e Madri, mandate i vostri figliuoli alla Dottrina Cristiana, altrimenti ne renderete stretto conto à Dio.*

II. Si eleggeranno due persone adulte delle più zelanti e caritative,col titolo di *Pescatori*, che,avendo le bacchette in mano, vadano con piacevolezza ragunando i Figliuoli, e le Figliuole alla Dottrina , a quali concede la Santità sua *cento giorni d'Indulgenza* nella consueta forma

 del-

della Chiesa, ogni qual volta faranno questa opera di pietà; esortando a questo esercizio così santo, le persone anche più nobili, e cospicue de' luoghi, accioche più facilmente s'inducano gli altri ad intervenirvi. In mancanza de'Laici, suppliranno i Cherici, e Preti della Parrocchia: e sarà ufizio di questi stessi il fare, che i figliuoli nel tempo dell'esercizio stiano colla dovuta modestia, e senza strepito in Chiesa.

III. Si divideranno in più Classi, secondo il numero, e capacità de'Parrocchiani, che sono obbligati ad intervenire alla Dottrina; facendo, che per ogni Classe siano otto, o diece al più, distributi in modo di circolo, e ad ogni Classe presederà col titolo di *Maestro* un Sacerdote, o un Cherico, o altra persona delle più intendenti, e più pratiche nella Dottrina Cristiana; adoperandosi de'figliuoli medesimi, col deputare per *Maestro* quello della Classe quarta alla Classe terza, quello della Terza alla seconda, e così delle altre.

IV. Si procuri, che siano le Classi almeno quattro per li figliuoli, e quattro per le figliuole, nella prima delle quali si assegneranno per iscolari i principianti; e s'insegnerà da tutti uniformemente, esclusa ogni altra, giusta il comandamento di Clemente VIII. nella sua Constituzione *Pastoralis* dell'anno 1598. la Dottrina piccola del Bellarmino dal §. *Sete voi Cristiano?* fino alla dichiarazione del *Credo*. Nella seconda Classe dalla dichiarazione del *Credo* fino a *Comandamenti di Dio*. Nella terza da'*Comandamenti di Dio* fino alle *Virtù Teologali, e Cardinali*. Nella quarta dalle *Virtù Teologali, e Cardinali* fino al fine. Essendovi poi moltiplicità de'Parrocchiani da instruirsi, si moltiplicheranno le Classi, suddividendole, secondo il bisogno.

V. Si faranno tanti Cartelloni, quante sono le Classi, ne'quali scriverassi con lettere majuscole *CLASSE PRIMA, CLASSE SECONDA, CLASSE TERZA, CLASSE QUARTA*; e distribuiti proporzionalmente i luoghi, si affiggeranno sopra i medesimi Cartelloni, accioche ognuno sappia la sua Classe. In oltre in un libretto si noteranno tutti que', che si stimeranno atti per la tale, e tale Classe. Nè si faranno passare dalla Classe inferiore all'altra superiore, se non que', che col parere de' Maestri si faranno benissimo impratichiti delle cose, che s'insegnano nella Classe inferiore.

VI. Gli Arcipreti, Parrochi, Rettori, o Vicarj Curati rispettivamente dovranno assistere, dirigere, e regolare tutte queste disposizioni. Ed accioche riescano col dovuto ordine, decoro, e con frutto, procureranno di essere colla dovuta vigilanza tutti in tutte, e tutti in ciascheduna delle sudette Classi; studiando di avere chi loro coadjuvi, con avvisare i loro Vescovi, se i Cherici, o i Preti saranno negligenti: e tacendo, la colpa si roverscierà a loro danno:

VII. Gli obbligati ad intervenire alla Scuola della Dottrina Cristiana saranno i maschi da'sette anni fino a'quattordici, e le femmine da'sette fino a'dodici; e se i Padri, e le Madri, ed i Padroni per li Servitori, ed Ope-

pe-

perarj, faranno trafcurati in mandarli, dopo la terza,e quarta monizione da farfi loro da'Parrochi, fiano i medefimi trafcurati fottopofti dal proprio Parroco all'interdetto perfonale, ad arbitrio prudente de'Vefcovi. Se poi i Parrochi faranno conniventi,ed indulgenti; foggiaceranno esfi alla pena delle altrui mancanze.

VIII. Quando vi foffero però degli adulti,che non fapeffero bene i mifterj più principali della noftra fede, e le cofe più neceffarie à confeguir l'eterna falute, reftino i medefimi aftretti, fotto la pena dell'interdetto dall'ingreffo nella Chiefa, ad arbitrio pure de'proprj Vefcovi, ad intervenire al Catechifmo, o fia breve Inftruzione, che fi farà da'Parrochi, come appreffo num. 10. dopo il Vangelo della loro Meffa Parrocchiale,o della Meffa de'Cappellani. Si efortano però tutti, tanto uomini, quãto donne ad intervenire in Chiefa nel tempo di quefto efercizio dell'intera Dottrina Criftiana; con avvertenza però, che le donne adulte fi collochino in luogo diftinto della Chiefa, feparate totalmente dagli uomini; concedendo Sua Santità *cento giorni d'Indulgenza* a quelli, che interverranno, e *cento* a quelli, che infegneranno.

IX. L'efercizio dell'infegnare dovrà durare mezza ora: e perciò ciafchedun Parroco dovrà provvederfi d'un Orologio da polvere per fuo regolamẽto. Terminata, che farà la mezza ora, fi collocheranno i figliuoli, e figliuole di ciafcheduna Claffe non più in circolo, ma una parte in faccia all'altra, e fi farà per un'altra mezza ora la difputa, la quale confifterà in fare, che un figliuolo, ed una figliuola interroghi l'altro, e l'altra: e fallando, fia corretto da'compagni più pratici della medefima Claffe.

X. Finita poi, che farà eziandio la difputa, fi farà anche la Inftruzione breve, che è ftata ordinata a farfi ogni fefta dopo il Vangelo delle Meffe Parrocchiali cantandofi da due pofatamente, e rifpondendo tutti i Parrocchiani, che fono infieme in Chiefa, le cofe feguenti nella materna lingua: cioè

1. Il fegno della Santa Croce.
2. Il Credo.
3. L'Orazione Domenicale.
4. La Salutazione Angelica.
5. I Precetti del Decalogo.
6. I Precetti della Chiefa.
7. I Sette Sagramenti.
8. Un'Atto di Contrizione.

XI. Per ultimo fi reciteranno le Litanie della Beata Vergine coll'Orazio-

ne

ne posta in fine della Dottrina del Bellarmino; sicome si dovranno ancor recitare le solite Orazioni, prescritte dal medesimo, eziandio avāti di cominciare gli esercizj.

XII. Ed acciochè tutto ciò sia noto ad ognuno, si ordina a'Parrochi, e Curati, che ne facciano la publicazione tra la Messa Parrocchiale ne'primi tre dì festivi, dopo la ricevuta del Concilio; e di più due volte l'anno nella prima Domenica del Mese di Gennajo, e nella Domenica in *Albis*: e per ogni volta, che i Parrochi ne trasgrediranno l'osservanza, o in tutto, o in parte, siano corretti, e puniti, ad arbitrio de'loro Vescovi; come altresì gli altri Ecclesiastici, che destinati da'Parrochi, ricuseranno, o saranno mancati nel far l'ufizio, loro prescritto, ed assegnato. Nella terza Sessione del Concilio Romano a 29. Aprile 1725.

F. A. Arcivesc. di Avellino, e di Frigento Segr. del Concilio.

II.
INSTRUZIONE

Per li Figliuoli, e Figliuole, che debbono ammetterfi per la prima volta alla Sagramentale Confeffione.

INTRODUZIONE.

POiche nelle auree Avvertenze, date da S. Carlo Borromeo a'Confeffori della fua Città, e Diocefi di Milano, avvifa il Santo Arcivefcovo, *Effere fanta ufanza di far venire i Putti, e le Putte, quantunque non pasfino cinque, o fei anni, ad uno ad uno, innanzi al Confesforo, acciocche comincino, ed a poco a poco vadano inftruendofi, ed introducendofi nella cognizione, e poi nell'ufo di quefto Sagramento*; fi è dalla Santità di Noftro Signore Benedetto Papa XIII. ftimata cofa molto utile il proporre a fomiglianti Miniftri, e precifamente a'Parrochi, la feguente breve Inftruzione in forma di Dialogo fra il Confefforo, ed il Penitente, intorno alle cofe più principali, che devono faperfi, del Sagramento della Penitenza, con parole chiare, e femplici, adattabili alla innocenza infieme, ed alla poca capacità degli ftesfi fanciulli.

PARTE PRIMA.

Dell'Obligo della Confesfione,

Conf. DItemi, figliuolo, vi fiete mai confeffato?
Pen. Padre nò.
Conf. Non fapete voi, che tutti i Criftiani, i quali an peccato dopo il Battefimo, anno l'obbligo di confesfarfi?
Pen. Padre sì: e l'ò imparato nella Dottrina Criftiana.
Conf. Volete voi dunque confesfarvi?
Pen. Padre sì; e perciò defidero fapere, che cofa è Confesfione?
Conf. La Confesfione è una vera, e legittima accufa de'proprj peccati attuali, fatta al Sacerdote, che ftà in luogo di Dio, per averne la remisfione, mediante l'affoluzione Sagramentale.
Pen. Giache nella Confesfione fi an da accufare i peccati attuali, ditemi, che cofa è peccato attuale?
Conf. Il peccato attuale è una trafgresfione della legge di Dio, fatta colla propria volontà.

 Pen.

Pen. Di quante forti è il peccato attuale?

Conf. Di due forti, cioè mortale, e veniale.

Pen. Qual'è il peccato mortale?

Conf. Il peccato mortale è quello, che fi commette contra la carità di Dio, o del prossimo: e fi dice mortale, perche priva l'anima della vita spirituale, ch'è la grazia fantificante, e resta condannata alle pene eterne dell'Inferno.

Pen. E qual'è il peccato veniale?

Conf. Il peccato veniale è quello, che non è contro la carità, e non priva l'anima della divina grazia, nè manda alle pene dell'Inferno: ma nondimeno dispiace a Dio, perche non è fecondo la fua volonta, e fecondo la fua legge: e fi dice veniale, perche effendo cofa leggiera, merita facilmente il perdono.

Pen. In quante maniere fi può peccare?

Conf. In tre maniere fi pecca, cioè con penfieri, con parole, e con opere.

Pen. Quali fono i peccati di penfiero?

Conf. I peccati di penfiero fono quelli, che fi commettono colla mente, e col cuore, cioè l'odio, l'invidia, i mali defiderj, il giudizio temerario, &c.

Pen. Quali fono i peccati di parole?

Conf. Sono quelli, che fi commettono parlando, come la bugia, il giuramento, la mormorazione, la maledizione, le beftemmie, &c.

Pen. Quali fono i peccati di opere?

Conf. Sono quelli, che fi commettono, o col fare quel, che non dovete fare, come ammazzare, rubare, &c. o con lafciar di fare quel, che fiete obligato a fare, come non fentir la Meffa nel dì della festa; rompere il digiuno, quando fi dee digiunare; far danno al proffimo, o nella perfona, o nella roba, &c.

Pen. Come ò da conofcere quando ò peccato?

Conf. Quando volontariamente, e con avvertenza avete trafgredito qualche cofa della legge di Dio; cioè quando avete fatto ad altri quel, che non volevate per voi; o non avete offervato qualche comandamento del Decalogo, o qualche precetto della Chiefa, o avete commeffo qualcuno de'vizj capitali.

Pen. Come ò da conofcere, fe il peccato è mortale, o veniale?

Conf. Se la offefa è contra la carità di Dio, o del proffimo in cofa grave, e l'avete fatta con piena avvertenza, e deliberata volontà, il peccato è mortale; ma fe l'offefa è in cofa leggiera (eccettuati alcuni, ne'quali la leggierezza della materia non ifcufa da colpa grave,) o benche fia in cofa grave, l'avete fatta fenza la piena avvertenza, o fenza la piena deliberazione, è peccato veniale.

Pen. Quando uno pecca, che merita?

Conf. Chi fa peccato mortale, perde fubito l'amicizia, e la grazia di Dio, l'effer fuo figliuolo adottivo, ed erede del Paradifo, e merita fubito di fta-

re

re co'Demonj nell'Inferno. E chi fa peccato veniale non perde la grazia di Dio, ma s'impedisce nel fervore della carità, e non merita la pena eterna, ma solamente la temporale, da pagarsi o in questa vita, o nel, Purgatorio.

Pen. Dopo il peccato mortale, come si può scāpare la pena dell'Inferno, e tornare ad essere figliuolo adottivo di Dio, e meritar di nuovo il Paradiso?

Conf. Coll'accusar la sua colpa, e confessar bene i suoi peccati, a'piedi del Cōfessoro.

Pen. Come ò da fare per confessar bene i miei peccati?

Conf. Tre cose avete da fare prima di andare al Confessoro.

